PHARMACOPŒA

BELGICA

Vu conformément à l'art. 3 de l'arrêté royal du 31 mai 1885.

MINISTÈRE DE L'INTÉRIEUR ET DE L'INSTRUCTION PUBLIQUE

LE DIRECTEUR GÉNÉRAL DU SERVICE DE SANTÉ
ET DE L'HYGIÈNE PUBLIQUE,

PHARMACOPŒA

BELGICA

EDITIO SECUNDA

BRUXELLES
P. WEISSENBRUCH, IMPRIMEUR DU ROI
45, RUE DU POINÇON, 45

1885

AD LECTOREM

Pharmacopœam Belgicam, anno 1854 editam, ob præsentem artis pharmaceuticæ et disciplinarum quum medicalium tum naturalium rationem, renovandam esse nemo negabit.

Quæ opera, Academia Medicinæ proponente, decreto regio diei 27æ februarii anni 1872, commissa fuit viris ad hoc delegatis :

DD. Chandelon, in Universitate Leodiensi professori;
Crocq, in Universitate Bruxellensi professori;
Depaire, in Universitate Bruxellensi professori;
Gille, in Schola medicinæ veterinariæ Status belgici professori;
Lefebvre, in Universitate Lovaniensi professori.

Quibus imprimis curæ fuit, ut commissionum medicalium quæ in singulis provinciis exstant, societatumque pharmaceuticarum, de medicamentis in variis regni partibus præscriptis, simul ac de immutationibus in pharmacopœa procurandis, sententiam exquirerent.

Quæ ad nos inde missa sunt monita, magno nobis usui fuerunt, et etiam, in quantum fieri poterat, in opere applicata.

Ab anno 1854, quo prior pharmacopœa in lucem prodiit,

numerum sat amplum medicaminum plus minusve efficacium in usum adduxit therapeutica; quorum tamen ea sola annotavimus quæ ut utilia experientia comprobavit, illis quorum valor aut nullus aut dubius appareret, sedulo exclusis. Quæ amplius non ministrantur medicamina, omissa sunt. Variis etiam ex modis quibus una eademque substantia præparatur, eum solum quo melius illius substantiæ proprietates apparebant retinendum duximus. Ita, ut res exemplo illustretur, seclusis præparationibus bulbi colchici, tantum seminis colchici præparationes servavimus, itemque, extractis plantarum virosarum cum fecula vel cum pulvere omissis, extracta cum succo alcohole depurato præparata sola retenta fuerunt.

Cum ex industria chemica venalia proponuntur medicamina plura satis integra, et pretio constantia tam modico ut pharmacopola, quantitatem necessario minorem fabricando, illud pretium exsuperare debeat, modum ideo præparandi non exposuimus, solum characteres talium medicamentorum, et media faciliora ac certiora quibus integritas constaret, indicada duximus.

Instructiones de thermometria et de areometria pariter ex pharmacopœa exclusæ sunt : has enim, ut legibus hodie vigentibus satisfiat, pharmacopola cognoscere tenetur priusquam ad artem suam exercendam accedat.

In modum aliqua medicamina officinalia præparandi immutationes immissæ sunt, quæ vel ob progressum artis pharmaceuticæ, vel ut præparata pharmacopœæ nostræ cum medicamentis similibus regionum vicinarum concordarent, necessariæ videbantur.

Nomenclaturam in pharmacopœa anni 1854 usitatam resumpsimus; quædam tamen præparata chemica et galenica nomine quo ordinarie præscribuntur, indigitata sunt. Ita nominibus : vinum opii aromaticum, alcoholetum saponato-camphoratum liquidum et solidum, hydrargyrum dulce vaporosum, hydrargyrum album præcipitatum, sub-

stituta sunt quæ sequuntur : laudanum Sydenhami, balsamum opodeldoch liquidum et solidum, calomelas et præcapitatum album.

Quod ad densitatem liquidorum attinet, loco areometri, quo nulla de voluminum pondere datur justa indicatio, densimetrum adhibuimus quo nimirum directe pondus præbetur.

Temperaturæ indicationes thermometro centesimali indigigantur.

In exponendis medicamentis, seclusa omni inter medicamina simplicia et composita distinctione, ordinem alphabeticum observavimus; nullus tali ordinandi modo facilior videbatur ut singula commode invenirentur. Cæterum, cum in editione gallica denominationes latinæ medicamentis præfigantur, eamdem omnino distributionem uterque præ se fert textus.

Pharmacopœa in duas partes distribuitur : quarum pars prior, seu pharmacopœa proprie dicta, medicamenta simplicia, præterea præparationem, characteresque medicaminum compositorum complectitur.

Medicamenti nomine intelligitur omnis substantia, qua remedium ægrotanti affertur. Hæc vero medicamenta aut simplicia sunt aut composita. Nomine simplicium, illæ substantiæ veniunt naturales, quæ seclusa omni præparatione chemica vel pharmaceutica qua principia quædam expellerentur, traduntur.

Composita vero sunt medicamenta tum ea quæ ex plurium substantiarum mixtura exstant, tum ea quæ ex præparatione cognitionem artis pharmaceuticæ exigente, proveniunt.

Pars altera sub forma tabularum notiones varias pharmacopolæ perutiles complectitur, ut sunt doses maxima, antidota, medicamina loco obscuro servanda, reagentia quibus plerumque medicamentorum integritas constat, etc.

Non omnia medicamenta in pharmacopœa descripta in

officinis pharmacopolarum adesse debent; ast in singulis provinciis, viri ad curam rerum medicarum legitime constituti, indices conficient medicaminum quæ apud pharmacopolas, prostare debent, ea tamen semper lege, ut distinctio fiat inter oppida majora, pagosque qui extensione simul ac indigenta minores sunt.

Hæc nihilominus conditio semper servetur, ut si quædam a medicis præscribantur, ea omnia pharmacopola præparando seu acquirendo suppeditare teneatur.

PARS PRIMA

ACETAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

R. Acidi acetici diluti quantum libet.
Carbonatis ammoniæ quantum satis.

Acido leniter calefacto in vase vitreo vel porcellaneo, adde per vices carbonatem ammoniæ grosse pulveratum ad perfectam saturationem. Dein aqua destillata, si opus est, addatur ut densitas liquoris refrigerati sit 1.029.

Liquor neuter, coloris expers, limpidus, ex toto volatilis, sine odore aut sapore empyreumatico. Nec nitrate argenti, nec acido sulphohydrico, nec chlorureto baryi, nec oxalate ammoniæ præcipitetur.

SUB-ACETAS CUPRI.

Prostat in panibus vel glebis compactis, opacis, tactu asperis, e viridi cærulescentibus, saporis ingrate metallici. In aqua partim, in acido acetico fere plane solvitur. Caute serva.

ACETAS MORPHINÆ.

R. Morphinæ puræ pulveratæ	2
Acidi acetici concentrati.	1
Aquæ destillatæ	1

Calefiant in patina porcellanea, balneo mariæ exposita, ad perfectam morphinæ dissolutionem.

Deinde evaporetur sub continua agitatione ad siccitatem usque.

Pulverisetur et in lagena bene obturata servetur.

Est pulvis albidus vel aliquantulum cinereus, saporis amari, odoris acidi acetici, aqua, spiritu vini, et potassæ causticæ solutione solubilis.

In lamina platinica combustus nullum residuum relinquit.

Solutio hujus salis diluta non præcipitatur neque nitrate argenti, neque chlorureto barytico, neque acido sulpho-hydrico.

Caute servetur.

ACETAS PLUMBI.

R.	Acetatis plumbi venalis.	1,000
	Aquæ destillatæ.	1,000
	Acidi acetici diluti	50

Solve calide, liquorem filtra et in crystallos sine redigi; crystalli prompte in aere libero siccatæ in vase bene clauso serventur.

Crystalli albæ, pellucidæ, in aere sensim fatiscentes, saporis dulcis, subacerbi, in aquæ duabus partibus et totidem alcoholis plane solubiles.

Solutio aquosa, per excessum acidi sulpho-hydrici præcipitata et filtrata nullum evaporatione residuum relinquit.

SUB-ACETAS PLUMBI LIQUIDUS.

R.	Acetatis plumbi venalis.	3
	Lithargyri pulverati	1
	Aquæ destillatæ.	10

Coque miscelam in patina porcellanea vel in vase ex cupro stannato confecto, donec color ruber lithargyri evanescat et bulliens liquor sit densitatis 1.20.

Refrigeratum in vase obturato filtra et in vasibus clausis serva.

Liquor incolor, limpidus, chartam lacmi acido rubefactam cæruleo reddens colori, densitatis 1.24.

Ammonia excedente digestus, præcipitatum album gignit; liquor supernatans incolor est.

ACETAS PLUMBI VENALIS.

Sal crystallos exhibens minutas, albas, prismaticas, cohærentes, subdiaphanas, nitentes, saporis primum dulcis, dein styptico-metallici, aeris contactu superficie subfatiscentes, in aquæ partibus binis solubiles. Servetur in vasis clausis.

ACETAS POTASSÆ.

R. Bi-carbonatis potassæ. . . . . Q.V.
Acidi acetici diluti . . . . Q.S.

Acido acetico bi-carbonas potassæ per parvas partes addatur donec acidum fere saturetur.

Hic liquor filtretur et evaporetur in vase argenteo seu porcellaneo ita ut acidus maneat.

Pelliculam, statim ac formatur, rejice super oras capsulæ, et liquore plane evaporato, aliquantulum acetas potassæ calori exponatur ad perfectam siccitatem.

Massa salina adhuc calida in lagenas probe claudendas inseratur.

Sal albus, absque ulla forma crystallina, levis, odoris empyreumatici et alcalinæ reactionis expers, deliquescens, aqua et spiritu vini solubilis.

Solutio aquosa diluta, nec acido sulpho-hydrico, nec chlorureto barytico, nec nitrate argenti, nec oxalate ammoniæ præcipitatur.

ACETAS SODÆ.

Crystalli prismaticæ, rhombicæ, obliquæ, decolores, pellucidæ, tribus aquæ frigidæ partibus, aquæ calidæ pari secum pondere, alcoholis vigenti quatuor partibus solubiles.

Illæ crystalli, quæ aere sicco efflorescunt, calefactæ ad 100° C., 39.70 p. c. aquæ crystallisationis amittunt.

Solutio earum aquosa chartas reagentes non mutat; acido sulpho-hydrico, oxalate ammoniæ, nitrate argentico, et nitrate barytico non præcipitatur.

ACETAS SODÆ ANHYDRUS.

Pulvis est albus vel massa crystallina, chartas reactivas non mutans, temperatura 319° circiter fusilis, quinque partibus aquæ 20° solubilis.

Solutio aquosa non præcipitatur acido sulpho-hydrico, nec oxalate ammonico, nec chlorureto barytico, nec nitrate argentico.

ACETAS ZINCI.

R. Oxydi zinci	10
Acidi acetici	16
Aquæ destillatæ	16

In acido aqua præscripta diluto oxydum zincicum solve; filtra et in crystallos redige.

Lamellæ albæ, nitidæ, leviter efflorescentes, aqua maxime solubiles.

Solutio aquosa album præcipitatum acido sulpho-hydrico et cyanoferrite potassico gignit.

ACETUM.

Utendum est aceto vini albi; ad minus sex partes pro centum acidi acetici contineat.

Sit liquor limpidus, incolor vel leviter flavi coloris. Sit saporis grate acidi, non acris neque empyreumatici.

Acido sulpho-hydrico non præcipitatur.

Acido nitrico commixtum, vix turbetur chlorureto baryi et nitrate argentico.

Ammonia saturatum, non præcipitat chloruretum baryi.

Aceti ad siccitatem evaporati residuum per alcoholem ad 92° C. producit bi-tartatis potassæ aliquam quantitatem.

10 cc. aceti ad minus 10 cc. potassæ causticæ normalis saturent.

ACETUM SCILLÆ.

R. Squammarum siccarum scillæ minutim scissarum.	85
Alcoholis 92°	85
Acidi acetici diluti	915

Macerentur per triduum, exprimantur, et filtrentur.

ACIDUM ACETICUM.

Sit limpidum, coloris expers, crystallisans infra + 17°, lamellas seu tabulas pellucidas valde nitentes præbens, ponderis specifici 1.06 si temperatura sit + 20°. Sit odoris acidi et suffocantis, grati autem si acidum multo aere diluatur.

Temperaturâ 120° bulliat et sine residuo avolet. Vapor acidi acetici est ad exardescendum facilis, ardescitque flammam cæruleam exhibens.

Decuplo volumini olei terebinthinæ commixtum, gignit miscelam limpidam; anilinam non colorat, cumque solutione nitratis argenti decoctum non nigrescit.

Pondere aquæ vicies multiplicato dilutum non præcipitatur neque nitrate barytico, neque nitrate argentico, neque acido sulpho-hydrico.

Ammonia saturatum, solutiones oxalatis et sulpho-hydratis ammonicorum non mutat.

Solutionis permanganatis potassici aliquot guttæ acidum aceticum colore rubescente perstante tingunt; guttis vero aliquot solutionis bichromatis potassici colorem viridem non assumit.

1 gramma acidi acetici ad minus 16 cc. solutionis normalis potassæ causticæ saturet.

Servetur in vase apprime clauso.

ACIDUM ACETICUM AROMATICUM.

R.	Acidi acetici.	720
	Essentiæ caryophyllorum	90
	Id. lavandulæ.	60
	Id. citri	60
	Id. bergamottæ	30
	Id. thymi	30
	Id. cinnamomi	10
		1,000

Misce in vase probe clauso, sæpius agitando, et post aliquot dies filtra.

Servetur in vase bene clauso.

ACIDUM ACETICUM DILUTUM

R.	Acidi acetici.	100
	Aquæ destillatæ.	900
		1,000

Misce.

Liquor incolor, densitatis 1.014.

10 cc. ad minus 16 cc. solutionis normalis potassæ saturent.

ACIDUM ACETICUM PHENICATUM.

R.	Acidi acetici.	225
	Acidi phenici crystallisati	100
	Aquæ destillatæ.	675
		1,000

Misce.

ACIDUM ARSENIOSUM.

Massa alba vitrea vel opaca, fragilis, compacta, valde gravis, in fractura conchoidea nitens, odoris expers, saporis leviter acris; calefacta, ex toto avolat et vapores spargit albos. Prunis inspersa, alliaceum spargens odorem avolat. In aqua frigida ægre, sed in aquæ fervidæ partibus decem solvitur.

Caute debet servari.

ACIDUM BENZOICUM MEDICINALE.

Paretur sublimatione benzoes.

Sint crystalli albæ, splendoris sericei, valde fragrantes; in aqua frigida parum, in fervida autem valde, ut in alcohole et æthere, solubiles. Igni expositæ plane in auras avolent, nec carbonem residuum relinquant.

Calce viva calefactum, non edat ammoniam.

Crystalli calefactæ cum solutione 2 partium permanganatis potassæ et 10 partium aquæ non redolent amygdalas amaras.

ACIDUM BORICUM.

Sint crystalli albæ, saporis vix acidi, in partibus viginti quinque aquæ frigidæ, tribus aquæ ebullientis, quindecim alcoholis solubiles, alcoholis flammam colore viridi tingentes. Solutio aquosa diluta liquore acidi sulpho-hydrici, chlorureti baryi, nitratis argenti non turbatur.

ACIDUM CHLORHYDRICUM.

Sit liquidum coloris expers, limpidum, in aere fumans, odoris valde pungentis, ponderis specifici 1.18.

Calefactum sine residuo avolet.

Aquæ destillatæ quintuplo volumine dilutum, non turbetur neque chlorureto baryi, neque acido sulpho-hydrico; sulpho-cyanureto potassii ne coloretur. —Ammonia si supersaturetur, sulpho-hydratem ammonicum non immutat.

Acidum chlorhydricum, ope amyli, iodureto potassii aucti, colorem cærulum non induat, neque contra sulphatem indigo ioduretum amyli, seu permanganatem potassii colore exuat.

Tandem, in apparatu Marshiano, nulla arsenici vestigia prodat.

Unum acidi chlorhydrici gramma ad minus 10 cc. solutionis normalis potassæ causticæ saturet.

ACIDUM CHLORHYDRICUM DILUTUM.

R.	Acidi chlorhydrici	250
	Aquæ destillatæ	750
		1,000

Misce.

Liquidum coloris expers, ponderis specifici 1.040.

1 gramma hujus acidi ad minus 2.4 cc. solutionis normalis potassæ causticæ saturet.

ACIDUM CHLORHYDRICUM VENALE.

Sit incolor aut flavescens, in aëre fumans, ponderis specifici 1.16 usque ad 1.18.

Inquinatur ut plurimum chlorureto ferri, arsenico, acido sulphurico, acido sulphuroso, etc.; quam ob causam ad usum internum adhiberi nequit.

ACIDUM CHROMICUM.

R.	Bichromatis potassici crystallisati. .	1,000	gram.
	Aquæ communis	10,000	»
	Acidi sulphurici ad 1.84	20,000	»

Mixturæ aquæ et acidi sulphurici, bichromas pulveratus addatur; tum calefac donec totus sal dissolvatur, deindeque liquor relinquatur ut lente refrigescat. Post 24 horas obtinetur crystallisatio abundans

anhydridi chromici, quod ab aqua-matre sejungitur, fundendo totum in infundibulum, cujus os imperfecte obstruatur tubo vitreo tenui.

Crystallorum quæ sic obtinentur pondus est 650 gr., cum vero siccatæ fuerint in caldario, pondus istud ad 620 gr. reducitur.

Productum hoc paululum acidi sulphurici et sulphatis potassici retinet. Servetur in vasis probe clausis.

Acidum chromicum exhibet crystallos aciculares, pulchre obscure rubras; in aqua facile solvitur; in aere expositum dissolvitur in liquorem obscure fuscum.

Liquescit circa 300°, dein decomponitur in oxygenium et in oxydum viride chromi.

Solutio aquosa, diu acido chlorhydrico ac parva quantitate alcoholis ebullita, non edat nisi leve cum chlorureto baryi præcipitatum.

ACIDUM CHROMICUM SOLUTUM.

R. Acidi chromici crystallisati	500
Aquæ destillatæ	500
	1,000

Misce et serva in vase apprime clauso.

Hujus liquidi pondus specificum est 1,47.

ACIDUM CITRICUM.

Sunt prismata rhombica, pyramide quadrangulari terminata, coloris expertia, pellucida, in aere immutabilia. Solvuntur in alcohole, in æthere, et in tribus quartis sui ponderis aquæ frigidæ partibus, vel in dimidiâ sui ponderis aquæ fervidæ parte.

Gradatim incalescens, acidum citricum prius quidem liquescit in sua aqua crystallisationis, quam cum vehementi ebullitione amittit; tum vero decomponitur vapores albos, acres atque pungentes edendo, ac residuum relinquendo carbonem, qui consumitur quin relinquat cineres.

Acidi citrici solutio aquosa, aqua calcis etiam subexcedente commixta, non præcipitatur frigida.

Acido sulpho-hydrico, chlorureto baryi, acetate potassico, et oxalate ammonico non præcipitatur.

ACIDUM CYANHYDRICUM.

R.	Ferro-cyanureti potassii	146
	Acidi sulphurici concentrati	146
	Aquæ destillatæ	356
	Alcoholis 92°	800

Ferro-cyanuretum in pulverem grossum redactum immitte in retortam vitream satis amplam, propter tumentiam massæ calefactæ. Excipulo tubulato retortæ conjuncto adapta tubum vitreum Welterianum qui descendat in laguncnlam cui antea immissæ sunt 100 partes alcoholis 92°.

Tum infunde in retortan acidum sulphuricum aqua et spiritu vini commixtum ac probe refrigeratum.

Retorta balneo aquæ imposita, excipulo et laguncula aqua frigida immersis, fiat destillatio quamdiu gutta transit. Liquoribus excipuli ac lagunculæ commixtis adde alcoholis 92° tantum ut totum fluidum sit partium 1,000, vel potius ut mille partes 25 partes acidi cyanhydrici anhydri contineant, aut cum nitrate argenti partes 125 cyanureti argenti siccati producant. Tum in lagunculas effunde, quæ bene obturatæ, loco obscuro ac frigido, cautissime serventur.

Sit limpidum, coloris expers, amygdalas amaras valde redolens; affusa aqua hydrosulphurata non mutetur, et aqua destillata dilutum chlorureto baryi non aut vix turbetur.

ACIDUM GALLICUM.

Sint crystalli aciculares, albæ, sericei nitoris, saporis adstringentis leviter aciduli. In 100 partibus aquæ frigidæ, in 3 vero partibus aquæ ferventis solvantur. In alcohole concentrato facile, sed multo minus in æthere sunt solubiles.

Ad 100°, amittit acidum gallicum 9.5 p. c. aquæ.

Solutio aquosa nec gelatinam, nec sales alcali organicorum præcipitet; sales ferricos colore obscure cæruleo tingat.

In lamina platinica calefactum, nullum relinquat residuum.

ACIDUM LACTICUM.

Sit liquidum limpidum, coloris nullius vel flavescentis, syrupi crassitudinem præbens, odoris expers, saporis admodum acidi; non solidescat ad 24°; ponderis specifici sit 1.215 ad 20°.

Humorem facile attrahat, et in aqua, alcohole et æthere in quâcunque proportione dissolvatur.

Calore gradatim crescente decomponitur vapores albos edendo, residuumque carbonem ex toto combustibilem relinquendo.

Acido sulpho-hydrico, chlorureto baryi, nitrate argenti, et oxalate ammonico non turbetur acidum lacticum dilutum.

ACIDUM NITRICUM.

Sit incolor, limpidum, et in lamina platinica sine residuo avolet. Pondus specificum : 1.33.

Suo volumine aquæ quinquiplicato dilutum, solutiones neque nitratis argenti neque nitratis baryi præcipitet.

Acidum nitricum suo volumine aquæ dilutum, chloroformum cum quo vehementer agitatum fuit, colore rubro-ianthino non tingit.

1 gr. acidi nitrici ad minus 9.9 cc. solutionis normalis potassæ causticæ saturet.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM.

R. Acidi nitrici	1
Aquæ destillatæ	2

Misce.

Pondus specificum liquidi sit 1.12.

Liquidum sit coloris expers, ex toto volatile, chloruretum baryticum et nitratem argenti non mutans.

1 gr. hujus acidi ad minus 3.3 cc. solutionis normalis potassæ causticæ saturet.

ACIDUM NITRICUM FUMANS.

R. Nitratis potassici pulverati et sicci .	1,000
Acidi sulphurici ad 1.84	1,000

Nitratem immitte in retortam vitream; infunde deinde acidum

sulphuricum ope infundibuli cujus tubus sit sat longus ne collum interius madefiat; retortæ aptetur excipulum vena aquæ refrigeratum, nec adhibeantur obturamenta suberea quæ brevi consumerentur.

Igne calefac primum moderato, dein gradatim aucto, donec nihil amplius destilletur.

Liquor prodiens suo volumine acidi sulphurici concentrati immixtus altera vice destilletur, et colligatur quarta pars totius voluminis.

Sit liquidum limpidum, colore flavo-subrubro tinctum, in aere copiosa edens fumi volumina suffocantis, flavo-robescentis, sine residuo volatile, ponderis specifici 1.52.

Multa aqua dilutum non turbatur nitrate neque argentico neque barytico.

ACIDUM NITRICUM VENALE.

Liquor peracidus, coloris ut plurimum flavescentis, in aere plus minusve fumans ; ponderis specifici 1.33.

Pro usu interno nonnisi depuratum adhibeatur.

ACIDUM OXALICUM.

Crystallos exhibet prismaticas, coloris expertes, pellucidas, et in aëre perstantes. Crystallisationis aquam calore amittit.

In aqua et alcohole facile admodum solvitur; dissolvitur in 15.5 partibus aquæ ad 10°, et in aquæ quantitate valde exigua ad 100°.

In tubo calefactum, partim decomponitur, sed maxima parte sine residuo sublimatur; cum limatura cupri in tubulo vitreo calefactum non edit vapores nitrosos; solutio ejus aquosa addito chlorureto barytico non turbatur, nec acido sulpho-hydrico coloratur.

1 gramma acidi oxalici in aqua soluti 15.87 cc. solutionis normalis potassæ causticæ saturet.

ACIDUM PHENICUM.

Prostat sub forma massæ cristallinæ seu acuum longarum, pellucidarum, splendide albarum, odoremque kreosoti redolentium.

Liquescit quidem 41°, 182° vero ebullit, ardescitque simul flammam albam edendo.

Pondus specificum circiter 1.060. In 20 partibus aquæ frigidæ, in alcoholis autem, ætheris, acidi acetici, chloroformique quacunque quantitate solvitur. Demum etiam in glycerina, in oleis volatilibus, in oleis fixis atque in pinguaminibus facillime solvitur. Liquorem limpidum præstat, si adjungantur aquæ 50 vel 60 partes ac parum sodæ causticæ.

Solutio aquosa chartam exploratoriam cæruleam non rubefacit; si vero aliquot guttulæ perchlorureti ferri in ipsam infundantur, colorem violaceum induit.

Servetur in lagena bene clausa, loco obscuro.

ACIDUM PHENICUM CRUDUM.

Liquidum e fusco rubescens, plus minusve translucidum, picem mineralem valde redolens; ægre quidem in aquâ, in alcohole facilius, in solutione calida sodæ causticæ autem facillime solvitur.

100 partibus saltem 50 acidi phenici crystallisati partes contineri necesse est: quod dignosces, si, exstillato acido crudo partes, quæ inter 160 et 190 temperaturæ gradus effluent, colligantur.

Materiæ hoc modo obtentæ soda caustica addatur, phenasque sodæ acido sulphurico demum decomponatur.

Oleum ex hac præparatione evadens, si subinde rectificetur, subtantiam præstat quæ facillime frigore crystallisatur.

ACIDUM PHOSPHORICUM.

R.	Phosphori	100
	Acidi nitrici pond. spec. 1.33. . . .	1,000
	Aquæ destillatæ	600

Pondera has materias in capsula porcellanea quæ sit satis ampla ut miscela fere non ultra dimidium repleatur; eas dein cooperi infundibulo quod satis late pateat, ut ipsius oræ innitantur in partibus interioribus capsulæ, parumque distent a liquore.

Capsulam calefac balneo vaporis, curando ut non exponatur calori nisi solus vasis fundus, donec ex toto dissolvatur phosphorus, nec amplius edat vapores rutilantes.

Aufer infundibulum, pone capsulam in balneo arenæ, et leni calore evapora usquedum non amplius edantur vapores acidi nitrici, odore vel ope bacilli vitrei ammonia liquida humectati dignoscibiles.

Residuo addatur pondus triplum aquæ, leniter calefiat solutio, saturetur hydrogenio sulphurato, ac, si post aliquod tempus efficiatur præcipitatum flavum, sinatur reactio in vase clauso, loco calido, per triduum. Calefiat balneo aquæ per quadrantem horæ, filtretur si sit necesse, atque evaporetur donec liquidum refrigeratum sit ponderis specifici 1.35.

Sit liquidum limpidum, coloris et odoris expers, saporis peracidi; carbonate sodico saturatum, cum nitrate argenti præcipitatum pallide flavum edat in acido nitrico solubile.

Aqua dilutum, non præcipitatur neque acido sulpho-hydrico, neque sulpho-hydrate ammonico, neque chlorureto barytico, neque chlorureto hydrargyrico, neque nitrate argenti.

Si cum aliquibus guttulis solutionis indigo calefiat, non decolorabitur miscela. Ejus compositio respondet 38.8 ad 39 p. c. acidi phosphorici anhydri.

1 gramma acidi phosphorici immissum in crucibulum porcellaneum continens 10 grammata lithargyri puri in pulverem redacti, necnon igne rubescens, producat ad minus 10 gr. 388 materiæ refrigeratæ.

100 phosphori efficiunt circiter 600 acidi phosphorici medicinalis.

ACIDUM SALICYLICUM.

Pulvis in crystallis prostans acicularibus, prismaticis, albis, odore carentibus, saporis aciduli, astringentis, dulciusculi; in aere immutabilis; in 320 partibus aquæ frigidæ, in paucioribus aquæ calidæ, alcoholis, ætheris, et solutionis boracis solubilis.

Calore 158° liquescit, et calore moderato sublimatur quin immutationem subeat. Si subito calefiat, odorem spargit acidi phenici.

Solutio alcoholica hujus acidi si evaporetur, residuum obtinetur crystallinum nullo colore in margine distinctum.

Solutione aquosâ neque chloruretum baryticum, neque nitras argenticus præcipitantur; solutione neutra salium ferricorum colorem violaceum assumit, qui color acido chloro-hydrico aufertur.

ACIDUM SUCCINICUM MEDICINALE.

Paretur destillatione succini.

Crystalli sunt albido-flavescentes, prismaticæ, saporis subacris et aciduli, odoris olei succini; in aere perstant; calore in alcoholis ad 92° C. duabus partibus ex toto solvuntur.

Igne avolant sine residuo; cum calce viva pulverata trituratæ non edunt ammoniam.

Solutio aquosa concentrata immixta solutioni acetatis potassici depositum non dat crystallinum.

Chlorureto barytico non præcipitatur, atque, appositis quibusdam acidi sulphurici guttis, calefacta non decolorat solutionem indigo.

ACIDUM SULPHURICUM.

Sit liquidum limpidum, coloris et odoris expers, oleaceum, ponderis specifici 1.84.

In capsulâ platinica calefactum ex toto avolat; remanet limpidum si alcoholis quatuor vel quinque partes addantur.

Sulphatis ferrosi crystallus huic acido immissa ipsum colore fusco non tingit.

Neque solutiones sulphatis indigo neque permanganatis potassii mutat.

Aqua dilutum non præcipitat neque nitratem argenti neque acidum sulpho-hydricum.

Tandem, in apparatu Marshiano, arscenicum non suppeditat.

1 cc. hujus acidi ad minus 20 cc. solutionis normalis potassæ causticæ saturet.

ACIDUM SULPHURICUM DILUTUM.

R.	Acidi sulphurici	1
	Aquæ destillatæ	5

Aquæ agitando sensim instilla acidum; dein liquorem in lagenam, e qua acidum exhaustum, refunde, ne acidi ulla pars in mixtura deficiat.

Sit limpidum, coloris expers, ponderis specifici 1.11 — 1.12.

1 gramma hujus acidi ad minus 3.3 cc. solutionis normalis potassæ causticæ saturet.

ACIDUM SULPHURICUM VENALE.

Liquidum sit maxime corrosivum, odoris expers, aliquando incolor, sæpe vero plus minusve fucescens, olei spissitudine, cum aqua valde incalescens. Sit ponderis specifici 1.84.

Centuplo pondere aquæ dilutum, filtratum necnon actioni acidi sulpho-hydrici excedentis expositum, non edit præcipitatum flavum in ammonia solubile.

Ad usum internum nonnisi depuratum adhibeatur.

ACIDUM TANNICUM.

Acidum tannicum massam præbet albido-flavescentem, sine ullâ forma crystallina, levem, saporis maxime adstringentis, non amari, odoris expertem.

In aquâ facile, in alcohole minus facile, nullo modo in æthere depurato solvitur.

Solutio aquosa solutionem gelatinæ animalis floccis spissis albisque, solutionem vero salium ferricorum vel potius ferroso-ferricorum colore obscure cœruleo aut nigro præcipitat; pari ætheris volumini commixta non turbatur.

In lamina platinica combustum, residuum nullum relinquit acidum tannicum.

ACIDUM TARTARICUM.

Crystalli sunt prismaticæ, rhombicæ, obliquæ necnon hemiedricæ; sunt incolores, pellucidæ et in aere immutabiles; solvuntur in aquæ parte 1 1/3 ad 19°, ac in alcoholis ordinarii partibus duabus.

Ad 100° acidum tartaricum aquam non amittit; sed si in lamina platinica calefiat, primum liquescit, dein tumescit ac decomponitur odorem odori panis combusti similem spargendo, crassumque carbonem, qui sine cineribus residuis comburitur, relinquendo.

Acidum tartaricum solutum in aquâ calcis seu barytæ præcipitatum album edit, quod acido excedente solvitur.

In solutionibus concentratis salium potassii, præsertim vero acetatis, præcipitatum crystallisatum tartratis acidi potassii in potassa causticâ solubile gignit.

Solutio aquosa non præcipitetur neque acido sulpho-hydrico, neque chlorureto baryi, neque oxalate ammonico.

1 gramma acidi tartarici in multa aqua solutum ad minus 13.3 cc. solutionis normalis potassæ causticæ saturet.

ACIDUM VALERIANICUM.

Extrahi debet ex radice Valerianæ.

Sit liquidum incolor, oleosum, odoris fortis odori valerianæ similis, in 30 partibus aquæ, et in alcohole, æthere atque ammonia quacumque proportione solubile.

Sit ponderis specifici 0.950. Sine residuo avolet.

Solutio aquosa chartam exploratoriam rubro colore tingit, et neque azotate argentico neque chlorureto barytico turbatur.

Solutio aquosa ammonia saturata, appositisque quibusdam solutionis chlorureti ferri guttis, rubro colore, post filtrationem, non tingatur.

ACONITINA.

R. Radicis aconiti Napelli in pulverem semi-tenuem redacti	1,000
Alcoholis ad 85°	3,000
Acidi sulphurici	Q. S.
Magnesiæ calcinatæ	Q. S.
Ætheris	Q. S.
Ammoniæ	Q. S.
Carbonis animalis depurati	Q. S.

Macera radicem aconiti per octiduum in alcohole leviter per acidum sulphuricum acidulato. Exprime, filtra, alcoholemque balneo aquæ destilla. Residuum aquosum in cucurbita remanens refrigescat, oleumque supernatans auferatur.

Evapora ad spissitudinem syrupi, residuumque æthere agita ut oleum remanens extrahatur.

Aqua macera, acidumque ope magnesiæ aqua non multa dilutæ neutralisa. Agita deinde pluries totum cum pari pondere ætheris cujus pondus specificum sit 0.725; solutionem ætheratam decanta et in aere evapora.

Residuum in acido sulphurico diluto leviter excedente dissolve, carbone animali decolora; cum æthere agita et quidem renovetur hæc operatio usquedum non amplius illo vehiculo auferantur materiæ alienæ.

Deinde solutioni sulphatis aconitinæ appone sensim ammoniam; filtro primas partes aconitinæ non puræ, quæ præcipitatur, separa, ac perge in præcipitando per ammoniam liquore filtrato, donec hic levem odorem ammoniæ edat.

Aconitinam in filtro collige, cum parva quantitate aquæ lava, et in aere sicca.

Sit pulvis albus, sine ulla forma crystallina, odoris expers, saporis amari et acris, in aqua parum solubilis, solubilis vero in alcohole, in æthere et in chloroformo.

In lamina platinica calefactus, nullum relinquit residuum.

Caute servetur.

ÆTHER.

Sit liquidum limpidum, incolor, facillime exardescens, valde volatile, odoris fortis et suavis, ponderis specifici 0.72.

Infusum in capsulam vel in linteum, brevi avolat et quidem ex toto, quin minimum odoris alieni vestigium relinquat.

In quacumque proportione solvitur in alcohole, et in decuplo aquæ pondere. Chartas reactivas solutio hæc non mutat.

Servetur in minoribus vitris rite clausis, loco frigido.

ÆTHER ACETICUS.

R.	Acetatis sodici anhydri.	1
	Acidi sulphurici pond. spec. 1.84	1
	Alcoholis ad 96°	1

Acetas sodicus leni calore siccatus et pulveratus, in retortam vitream tubulatam vase refrigeratorio munitam immitatur. Tum, apparatu luto obturato, affundatur per retortæ tubum acidum antea alcohole mixtum et refrigeratum. Post digestionem viginti quatuor horarum, destillatio igne moderato instituatur usque dum volumen liquidi, alcoholis volumini æquale, collectum sit. Æther excipulo elicitus cum vigesimâ circiter pondere calcis extinctæ, in lagenâ obturatâ

per aliquot momenta conquassetur, donec reactio acida evanuerit. Tum æther decapulatus cum æquali volumine chlorureti calcii exsiccati maceretur et, post aliquot horas, balneo aquæ rectificetur. In lagenis rite clausis servetur.

Sit limpidus, coloris expers, odoris proprii grati, penetrantis; sit sine residuo volatilis et ponderis specifici 0.89.

Chartam exploratoriam cœruleam non rubefacit, acido hydro-sulphurico non coloratur, neque in aquæ minore quantitate quam septem partibus (temperatura 17°) solvitur.

ÆTHER NITRICUS ALCOHOLICUS.

R.	Alcoholis 92°	100
	Acidi nitrici, ponderis specifici 1.33 . . .	35
	Sacchari albi.	10

E retorta vitrea destillent partes 70. Æther elicitus cum parte una magnesiæ ustæ conquassetur et liquor denuo in retortam immissus fere ad siccitatem rectificetur.

Est liquor limpidus, neuter, fere incolor seu subflavescens, odoris proprii ætherei, grati; ponderis specifici 0.85—0.86. Non tumescit cum bicarbonate alcalino.

Nota. Cum æther nitricus tempore facile acescat, majores quantitates simul non præparentur.

ÆTHER SULPHURICUS ALCOHOLICUS.

R.	Ætheris	468
	Alcoholis 90°	532
		1,000

Misce et serva in lagenis rite claudendis.

Sit limpidus, coloris expers, odoris penetrantis ætherei, grati, saporis similis; sine residuo volatilis, ponderis specifici 0.791 — 0.795. Ne colorem chartæ exploratoriæ cæruleæ mutet.

Partes ætheris et alcoholis hic præscriptæ respondent, pro utroque liquore, eidem volumini.

AGARICUS ALBUS.

Sit siccus et epidermide liberatus.

Sistit massam levem, tenacem, spongiosam, friabilem, coloris albi in flavum vergentis, saporis primum subdulcis, dein amaricantis styptici.

AGARICUS PRÆPARATUS.

Agaricus præparatus venditur sub forma lamellarum plus minusve spissarum, irregularium, flavo-fuscescentium aut fuscarum, flexibilium, tactu lenium, et penetrabilium. Aqua si tractentur, liquor inde exsurgens, evaporatione residuum nitrum non relinquat.

ALCOHOL 92° C.

Sit limpidus, incolor, nullum, quum avolaverit, relinquens residuum; manu fricatus nonnisi odorem spirituosum purum spargat.

Destillatæ aquæ commixtus non turbatur, neque saporem alienum aut odorem ingratum induit. Hæc solutio chartas reactivas non mutat. Sit ponderis specifici 0.8276.

ALCOHOL AMYLICUS.

Liquidum colore carens, odoris proprii tussim provocantis, neutrum, ponderis specifici 0.818.

Calore 132° ebullit, et sine residuo avolat. Ægre inflammatur, flammamque tunc cœruleam parumque fulgentem spargit.

ALCOHOL ANHYDRUS.

Sit liquidum pellucidum, coloris expers, volatile, odoris spirituosi grati, ponderis specifici 0.794.

Aquæ destillatæ infusum, non turbetur, neque saporem alienum aut odorem ingratum induat; solutio chartas reactivas non mutet.

Alcoholas baryticus non turbatur quando alcoholi absoluto immiscetur; et sulphas cupri anhydrus eidem alcoholi immissus, perfecte albus remaneat.

Dictæ probationes fiant in tubis siccis, qui post immissionem substantiarum reagentium immediate claudantur.

ALCOHOL PHENICATUS.

R. Acidi phenici crystallisati.	200
Alcoholis 92° C	800
	1,000

Misce.

ALOE.

Succus concretus ex pluribus aloes speciebus prodiens.

Aloe soccotrina frusta præbet irregularia, splendentia, e viridi fusca seu crocata, margine subpellucida, odoris balsamici, saporis nauseosi et peramari.

Ipsius pulvis est coloris pallide lutei. In alcohole ex toto, in aquâ quoad maximam partem solvitur.

A promontorio Bonæ spei aloes species advehitur soccotrinæ affinis, at minus pellucida, odoris minus grati ; hæc adhibenda est, nisi contrarium indicetur.

Aloe hepatica et aloe barbadensis massam sistunt opacam, subfuscam vel bruneam, hepati similem, ad margines non pellucidam.

Aloe caballina abjiciatur.

ALOE LIQUIDA.

R.	Aloes capensis grosso modo pulveratus. . .	500
	Carbonatis sodæ	10
	Aquæ communis	440
	Ammoniæ liquidæ	50

Balneo mariæ priores tres substantiæ calefiant usquedum aloe perfecte solvatur. Dein in linteo, dum calidæ sunt, cola ; ac demum liquori sufficienter refrigerato, quem interim vehementer agitabis, ammoniam infunde.

Exstare debent aloes liquidæ partes 1,000 ; quem numerum ut compleas, in locum aquæ evaporatæ, si sit necesse, aliam substitues.

ALUMEN.

Sal in crystallis octaedricis, decoloribus, subpellucidis, in aere paulum fatiscentibus, saporis subdulcis dein styptici, in aquæ frigidæ sedecim partibus et in aquæ fervidæ una parte solubilis, in igne ad massam albam spongiosam tumescens.

Cum potassâ caustica tritum, additis aliquot aquæ guttis, ammoniam non emittit.

Solutio aquosa, apposito ferro-cyanureto potassii, colorem cœruleum non induit.

ALUMEN USTUM.

R. Aluminis crystallisati . . . . . . Q. V.

In olla fictili non vitreata sat capaci, calori modico sensim aucto subjiciatur donec, aqua expulsa, sal in massam albam, levem et spongiosam abierit. Servetur loco sicco.

Sit albus, spongiosus, levis, recens paratus aqua non solubilis. Aeri aliquamdiu expositus in aqua sine residuo solvatur. Solutio ab acido sulpho-hydrico et a ferro-cyanureto potassico non coloretur.

In tubo vitreo calefactus, alumen ustum ne vapores aquosos emittat. Kali caustico madente ne ammoniam prodat.

AMBRA GRISEA.

Ambra grisea frusta refert variæ dimensionis, ceræ consistentiæ, tactu pinguoso-resinosa, e nigro cinerea, maculis et striis albicantibus aut flavescentibus conspersa, fracturæ granosæ, aqua leviora, leni calore liquescentia, odoris pergrati.

In æthere sulphurico fere omnis, in alcohole tantum ex parte solvitur.

Servetur in vitris clausis.

AMMONIA LIQUIDA.

Sit liquida, coloris expers, limpida, odoris penetrantis, saporis caustici, ex toto volatilis quin odorem empyreumaticum relinquat.

Acido nitrico excedenti caute commixta, colorem rubrum non induit, neque mixtura odorem picis liquidæ spargit.

Aqua calcis nullo modo aut vix turbatur; aqua diluta et acido acetico puro saturata, non præcipitatur neque nitrate argenti, neque chlorureto baryi, neque oxalate ammonico, neque acido sulpho-hydrico.

Pondus specificum = 0.935. 17 p. c. gasis ammoniaci continet.

1 gramma ammoniæ liquidæ 10 cc. acidi oxalici normalis saturet.

AMMONIACUM GUMMI.

Gummi-resina aut ex lacrymis seu granis variæ magnitudinis, albo-flavescentibus, intus albidis, subnitidis, opacis, ut plurimum inter se conglutinatis (Amm. in granis), vel ex frustis plus minusve crassis, densis, flavescentibus seu rufescentibus cum granis subrufis intermixtis, constans (Amm. in massis), frigore dura, inter digitos parce mollescens, odoris proprii penetrantis, saporis amaro-nauseosi, subacris.

Ammoniacum eligatur potissimum in granis, vel in glebis, quibus copiosa grana amygdaloidea albo-flavescentia intermixta sunt.

AMYLUM.

E farina tritici obtinetur.

Pulvis subtilissimus, albus, ex globulis minutissimis, subrotundis constans. Nec aqua frigida, nec alcohole solvitur; cum aqua calida vero in gelatinam abit glutinantem, refrigeratione spissam, quæ, addito iodo, colorem cœruleum assumit.

Sit siccum, albissimum, nec combusti 100 partes plus quam 1 partem cinerum relinquant.

ANTIDOTUM ARSENICI.

R. Chlorureti ferrici liquidi	200
Aquæ destillatæ	400
Misce et appone :	
Magnesiæ ustæ.	25
Prius madefactæ in :	
Aquæ destillatæ	375
	1,000

Paretur ex tempore.

BI-ANTIMONIAS POTASSÆ.

R. Antimonii depurati	1
Azotatis potassici	2

In pulverem subtilem redacta et intime commixta sensim projiciantur in crucibulum igne rubescens.

Crucibulum, cum fere impletum fuerit, operculetur et adhuc per dimidiam horam candescat. Auferatur ex crucibulo pasta, et projiciatur in pelvim aqua frigida repletam. Conquassetur usque dum massa solida delitescat, seponatur ut subsidat, et decantatione lavetur donec aqua fiat insipida; sedimentum in linteo strictioris texturæ exstillatum leni calore siccetur.

Sit pulvis albus, odoris et saporis expers. Tubo ferruminatorio super prunas calefactum, in globulum antimonii liquetur nec allium oboleat.

ANTIMONIUM DEPURATUM.

Exhibet metallum albo-cœrulescens, nitens, fragile. Aeris contactu igne rubescens, ardescit fumum album, inodorum spargens. Ipsius solutio in aqua regali ammonia supersaturata, præcipitatum in sulpho-hydrate ammonico excedente ex toto solubile edit.

Si aqua destillata leviter calefacta digeratur massa fusione 1 partis antimonii, 2 partium azotatis sodici et 1 partis carbonatis sodici obtenta, si præterea iste liquor prius acido sulphurico supersaturatus filtretur et evaporetur usquedum appareant vapores albi et graves, obtinetur liquidum in apparatu marshiano nullum arsenici vestigium prodens.

APIOL OFFICINALE.

Liquidum neutrum, crassitudinis olei, flavo-fuscescens, odoris odorem fructus petroselini in memoriam revocantis, saporis acris ac pungentis.

Pondus specificum : 1.078 — 1.080.

Si calefiat, decomponitur quin avolet, et sine residuo ardet. Chartam ad modum corporum pinguium fixorum maculat ; in aqua non solvitur, facillime vero in alcohole, in æthere et in chloroformo.

AQUA.

Pro usu pharmaceutico sit limpida, insipida, odoris expers; nec quiete, nec lucis influxu turbetur.

AQUA ANISI.

R.	Solutionis alcoholicæ olei anisi cum unâ parte olei recentis et alcoholis 92° C. novem partibus paratæ	3
	Aquæ destillatæ	1,000

Misce ex tempore fortiter liquidum in vase conquassans.

AQUA APII.

R.	Radicis apii	100
	Aquæ	2,000

Destillando elice partes 1,000.

AQUA BARETGINENSE PRO BALNEO.

R.	Sulpho-hydratis sodici crystallisati	64	gr.
	Carbonatis sodæ crystallisati	64	»
	Chlorureti sodii	64	»
	Aquæ	308	»

Solutio pro balneo litrorum 300.

AQUA BRYONIÆ COMPOSITA.

ALCOHOLATUM BRYONIÆ COMPOSITUM.

R.	Castorei contusi	7
	Alcoholis 80° C.	50

Post digestionem per triduum, exprime et filtra.
Sedimento castorei addantur :

Foliorum rutæ contusorum	84
Sabinæ contusæ	7
Pulegii id.	7
Herbæ basilici contusæ	7
Matricariæ id.	7
Nepetæ catariæ	7
Corticum aurantiorum incisorum	14
Myrrhæ grosse pulveratæ	14
Radicis recentis bryoniæ dissectæ	168
Alcoholis 50° C.	336
Aquæ	2,000

Post macerationem 24 horarum destillent partes 950 quibus admisce tincturam castorei.

AQUA CALCIS.

R. Calcis recenter ustæ et calcinatæ . . . 10
Aquæ destillatæ 5

Calcem, cum delituerit, dilue in 300—400 aquæ destillatæ partibus, per aliquot momenta conquassa et sepone ut subsidat. Liquor limpidus abjiciatur, ipsiusque loco assumatur 1,000 aquæ destillatæ.

Miscela identidem per horam concutiatur et in vase bene clauso servetur. Filtretur prout usus requiritur.

Aqua calcis sit limpida et chartam exploratoriam rubram cœruleo colore tingat.

AQUA CHAMOMILLÆ.

R. Florum chamomillæ romanæ recenter dessiccatorum 200

Destillando elice partes 1,000.

AQUA CHLORI.

R. Peroxydi manganesii pulverati . . . . 10 gr.
Aquæ. . . . . 10 »
Acidi chlorhydrici, ponderis specifici 1.15-1.18 . . . . 30 »

Misceantur in bulbo vitreo amplitudinis circiter 100 centimetrorum, prius conjuncto cum vase lavatori vitreo parum amplo, quo contineatur parva quantitas aquæ ad purificandum gas. Huic vasi aptetur tubus vitreus incurvatus quo gas ducatur in aliud vas amplitudinis duorum litrorum, apprime obturabile et 1 litrum aquæ destillatæ continens.

Tubus hic ita disponatur ut chlorus veniat prope liquoris superficiem, nec in ipsum penetret.

Bulbus deinde calefiat balneo aquæ, usquedum non amplius emittatur chlorus ; auferatur vas, et apprime clausum vehementer conquassetur ad dissolvendum gas.

Sit liquor limpidus, flavo-viridescens, odorem chlori spargens, chartam exploratoriam brevi decolorans, sine residuo volatilis ; cum

hydrargyro excedente agitatus eamdem chartam exploratoriam cœruleam vix rubefacit. Perspicue suum volumen chlori continet.

Servetur in vasis apprime clausis epistomio vitreo, minoris amplitudinis, omnino repletis et loco obscuro collocandis.

AQUA CINNAMOMI.

R. Corticis cinnamomi Ceylanensis . .	100

Destillando elice partes 1,000.

AQUA COLONIENSIS MEDICINALIS.

R. Olei bergamottæ.	10
Id. corticis citri	10
Id. florum aurantiorum	5
Id. lavandulæ	4
Id. rorismarini	1
Alcoholis 92° C	970
	1,000

Misce et filtra.

AQUA DESTILLATA.

R. Aquæ fontanæ.	Q. V.

Destillent tres quadrantes, rejecta parte liquidi decima quæ prius stillaverit. Servetur in lagenis probe clausis.

Sit limpida, coloris et odoris expers, chartas reagentes non mutans, sine residuo volatilis; acido sulpho-hydrico non coloretur; non turbetur neque azotate argentico, neque chlorureto barytico, neque oxalate ammonico, neque aqua calcis, neque iodureto hydrargyro-potassico.

AQUÆ DESTILLATÆ AROMATICÆ.

1. Folia floresque quibus comparentur aquæ destillatæ, recentia sint seu recenter siccata.

2. Cortices, radices seminaque minutim concidantur vel contundantur, priusque aqua per 10 vel 12 horas macerentur.

3. Destillatio fiat, cum aqua fontana, in apparatu ita disposito ut

flamma nunquam superet eam alambici partem, quam aquæ superficies attingit.

4. Fiat generatim destillatio in apparatu cupreo, stanno intus obducto, impositis capitello et tubo refrigeratorio ex stanno puro confectis.

5. Plerumque præstat destillationem vaporis ope peragere apparatu ita disposito ut aquæ bullientis vapor substantias destillandas pervadat. Omni in casu, vegetabilia a fundo apparatus removeantur.

6. Essentia, si in superficie aquæ destillatæ conspiciatur, non amovenda nisi aqua cum ea prius agitetur. Quæ dein, quiete concessa, aquæ destillatæ innatat vel hujus fundum petit, exacte separetur, et aqua in lagenis primo die cono chartaceo et dein epistomio vitreo claudendis servetur.

7. Aquæ aromaticæ si essentia excedente turbidæ sint, ante usum per chartam madentem filtrentur.

8. Aquæ aromaticæ odorem plantarum e quibus eliciuntur, absque odore empyreumatico, redoleant. Ne sint fuscæ neque mucilaginosæ, aut flosculis innatantibus intermixtæ.

9. Serventur aquæ destillatæ aromaticæ in loco frigido et obscuro.

AQUA FLORUM AURANTIORUM.

R. Florum aurantiorum recentium 350

Destillando elice partes 1,000.

AQUA FOENICULI.

R. Solutionis alcoholicæ olei fœniculi cum olei una parte et alcoholis 92° C. novem partibus paratæ. 3

Aquæ destillatæ 1,000

Ex tempore præpara.

AQUA HÆMOSTATICA PAGLIARI.

R. Benzoës 50

Arenæ 200

Sulphatis aluminis et potassæ. 100

Aquæ destillatæ fervidæ . . . . Q. S.

Benzoë, arena et alumen intime commisceantur.

Immitte miscelam in infundibulum vitreum, cujus ductile stuppâ gossypii obturetur, deinde aquâ fervidâ ablue usquedum aquæ hæmostaticæ Pagliari obtineantur partes 1,000.

Sepone usque ad crastinum diem in loco frigido et filtra.

AQUA HYSSOPI.

R. Solutionis alcoholicæ olei hyssopi cum 1 parte olei et 9 partibus alcoholis 92° C. . 3
Aquæ destillatæ 1,000

Para ex tempore miscelam fortiter in vase conquassando.

AQUA LACTUCÆ SATIVÆ.

R. Lactucæ sativæ florescentis foliis inferioribus liberatæ 1,000
Aquæ 2,000

Destillando elice partes 1,000.

AQUA LAURO-CERASI.

R. Foliorum recentium lauro-cerasi . . 1,000
Aquæ 4,000

Folia incide, et contunde ea in mortario marmoreo; dein immitte in vesicam destillatoriam cum quantitate aquæ præscripta.

Vesicam probe claude, macera per 12 horas et destilla donec obtinueris liquidi partes 1,500. Vehementer conquassa, ut facilius solvatur oleum, et adde aquæ destillatæ Q. S., ut producatur liquor cujus 1,000 partes contineant dimidiam partem acidi cyanhydrici anhydri.

Ut cognoscatur quantitas aquæ addenda ad obtinendam debitam compositionem, sume :

Liquoris destillati . . . . 20 cc.
Solutionis normalis potassæ causticæ . 2 cc.

Misce in bulbo vitreo; dein sensim instilla, sine intermissione conquassando, quantum satis solutionis normalis decimæ azotatis argentici, quæ solutio contineatur in ampulla in 0.10 centimetrorum cubicorum dispertita; hancque operationem protrahe donec miscela fiat permanenter turbida. Si numerus centimetrorum cubicorum solu-

tionis argenticæ adhibitæ, quinquies multiplicetur, et numerus ex hac multiplicatione effectus 0.0054ies multiplicetur, habetur pondus acidi cyanhydrici anhydri in 100 part. aquæ destillatæ inclusi. Si deinde pondus aquæ lauro-cerasi quæ collecta fuit, multiplicetur per quantitatem acidi cyanhydrici in ea inclusi, et si numerus sic effectus in 50 æquales dividatur partes, talis 50a pars totalem quantitatem aquæ lauro-cerasi præbebit, titulo pharmaceutico, post additionem aquæ destillatæ, obtinendam.

AQUA LAXATIVA VIENNENSIS.

R. Foliorum sennæ 100
Mannæ 200
Aquæ . . . . Q. S.

Solve mannam in infuso sennæ ut sint liquoris partes 1,000.

AQUA MAGNESIÆ AERATA.

R. Sulphatis magnesiæ 62
Carbonatis sodæ 60

Sulphatem magnesicum et carbonatem sodicum seorsim solve in aquæ fervidæ quintuplo pondere. Solutiones misce ac præcipitatum inde ortum, rite elotum et adhuc humidum commisce cum aquæ destillatæ quantum satis, et ope gas acidi carbonici præfluentis solve, ut sint aquæ magnesiæ part. 1,000.

AQUA MELISSÆ.

R. Solutionis alcoholicæ olei melissæ officinalis, cum una parte olei, et alcoholis 92° partibus novem paratæ. 3
Aquæ destillatæ 1,000

Misce ex tempore.

AQUA MENTHÆ.

R. Solutionis alcoholicæ olei menthæ piperitæ, cum olei una parte, et alcoholis 92° novem partibus paratæ. 3
Aquæ destillatæ 1,000

Misce ex tempore.

AQUA MENTHÆ CRISPÆ.

R. Solutionis alcoholicæ olei menthæ crispæ, cum una parte olei et alcoholis 92° partibus novem paratæ	3
Aquæ destillatæ	1,000

Misce ex tempore.

AQUA PHAGEDENICA.

R. Chlorureti hydrargyrici	4
Aquæ destillatæ	10
Aquæ calcis	986
	1,000

Solve chloruretum hydrargyricum in aqua destillata fervida, post adde aquam calcis, conquassa et loco obscuro serva. Agitetur miscela quum sit adhibenda.

AQUA PICIS.

R. Aquæ picis concentratæ	30
Aquæ destillatæ	970
	1,000

Misce.

AQUA PICIS CONCENTRATA.

R. Picis Norwegianæ	250
Bicarbonatis sodici	15
Aquæ	1,000

Has substantias immitte in vas ita dispositum ut condensentur producta volatilia, eaque in miscelam reducantur. Per tres horas calefac balneo mariæ interea frequenter conquassando.

Ex toto refrigescat, dein decantetur et filtretur.

AQUA RABELII.

R. Acidi sulphurici	250
Alcoholis 92°	750
	1,000

Sensim alcoholi appone acidum, refrigera et conquassa. Servetur mixtura in vase clauso.

AQUA ROSARUM.

R. Petalorum rosæ centifoliæ recentium . 400
Destillando elice 1,000.

AQUA RUTÆ.

R. Solutionis alcoholicæ olei rutæ, cum olei una parte, et alcoholis 92° novem partibus paratæ. 3
Aquæ destillatæ 1,000

Ex tempore misce.

AQUA SAMBUCI.

R. Florum sambuci siccatorum . . . 300
Destillando elice 1,000.

AQUA SEDATIVA.

R.	Chlorureti sodici.	60
	Ammoniæ liquidæ	60
	Alcoholis camphorati	10
	Aquæ destillatæ	1,000

Salem in aqua solve, appone alcoholem camphoratum, dein ammoniam.

Agitetur aqua sedativa quando inservire debet.

AQUA SEIDLITZENSIS EXTEMPORANEA.

R.	Sulphatis magnesici.	60
	Aquæ	930
	Bicarbonatis sodici	5
	Acidi tartarici	5
		1,000

Sulphatem magnesicum solve in aqua, solutionemque additione bicarbonatis et acidi aeratam redde.

AQUA VALERIANÆ.

R.	Radicum valerianæ	100
	Aquæ	Q. S.

Destillando elice 1,000.

AQUA VEGETO-MINERALIS GOULARDI.

R.	Sub-acetatis plumbici liquidi . . .	20
	Alcoholis 92°.	35
	Aquæ destillatæ	1,000

Misce, et tempore quo inservire debet conquassa.

AQUA VITÆ CAMPHORATA.

R.	Camphoræ	25
	Alcoholis 50°.	975
		1,000

Solve et filtra.

ARGENTUM FOLIATUM.

Est ex toto solubile in acido nitrico 1.33.

Solutio diluta, acido chlorhydrico leviter excedente præcipitata, præbet, postquam filtrata fuerit, liquidum quod acido sulpho-hydrico et ammonia neque coloratur neque præcipitatur; et quod, si in vitro horologii portatilis evaporetur, nullum residuum fixum relinquit.

ARGILLA.

Argilla præbeat pulverem valde tenuem, album, odoris expertem; non solvatur in aqua neque in acidis nitrico et chlorhydrico; quod ultimum acidum in argilla non manifeste effervescet.

Arenam ne contineat.

Argilla venalis quæ sub nomine China-Clay cognoscitur, egregie usui pharmaceutico convenit.

ARSENIAS FERRI.

R.	Arseniatis sodici	100 gr.
	Acetatis sodici	75 »
	Sulphatis ferrosi	225 »

Solvantur arsenias et acetas sodici in duobus litris, sulphas autem ferrosus in tribus litris aquæ destillatæ ebullientis; solutiones deinde, filtratas si necesse sit, misce et per 12 horas sepone.

Præcipitatum in linteo arctioris texturæ collectum cum aqua destillata ablue, donec aqua qua ablutum fuit non amplius solutionem chlorureti barytici præcipitet.

Exstilletur et exprimatur præcipitatum, dein super patinas expandatur et temperatura calorem 40° C. non excedente siccetur; tandem in pulverem tenuem redactum, caute in vase clauso servetur.

Pulvis virescens, nulla forma crystallina, nullo odore, nullo sapore distinctus, in aqua insolubilis; in acido chloro-hydrico solvitur, qua solutione non præcipitatur chloruretum baryticum.

BI-ARSENIAS POTASSÆ.

R. Acidi arseniosi pulverati.
Nitratis potassici pulverati et sicci, partes æquales.

Rite mixta et in crucibulum Hassiacum immissa, in aere libero vel sub camini spiraculo, igne fortiori urantur, donec vapores emergere cessaverint. Massa refrigerata et pulverata digeratur cum aquæ fervidæ pondere a duplo ad quadruplum variante; filtretur dein solutio, caute evaporetur et refrigeratione in crystallos concrescat.

Lixivium decanthatum, nisi chartam exploratoriam cœruleam rubefaciat, crystallos non demittit, sed arseniatem relinquit deliquescentem, qui propter nimiam potassæ copiam in crystallos cogi nequit.

Sunt crystalli prismaticæ, quadrangulares, reactionis acidæ, aqua valde solubiles. Solutio aquosa salibus calcicis non præcipitatur.

Bi-arseniatis potassæ 100 partes, 63.86 partes acidi arsenici anhydri continent.

Sal iste provide servetur.

ARSENIAS SODÆ SICCATUS.

R.	Acidi arseniosi pulverati	100
	Nitratis sodici	85
	Carbonatis sodici sicci.	55
	Aquæ destillatæ	350

Tres ultimæ substantiæ misceantur, et in crucibulum Hassiacum sat amplum ut miscela nonnisi ad dimidium impleatur, immittantur. Crucibulum operculatum gradatim calefiat, donec massa non amplius effervescat, sed fusione tranquilla liqueat. Eam tunc effunde in tabulam saxeam, et, cum sal concreverit, adhuc calidum pone in aquæ fervidæ præscripta quantitate, conquassando donec solutum fuerit. Solutio filtretur et in crystallos redigatur.

Crystallos sine exstillare; eas parva aquæ quantitate lotas calore 100° C. dessicca, et cautissime serva.

Arsenias sodicus siccatus est pulverulentus, in aqua plane solubilis; solutio chartam exploratoriam colore cæruleo afficit; hujus arseniatis partes 100, partes 61.84 acidi arsenici continent.

ARROW-ROOT SEU AMYLUM MARANTÆ.

Amylum Marantæ præbet granulos angulosos, pellucidos ac nitentes, albos, saporis simul ac odoris expertes.

In aqua fervida facile solvitur fœcula hæc, gelatinam edens inodoram, fere pellucidam, quam iodum colore cœruleo tingit.

Si incendatur, 100 partes amyli nonnisi unam partem cinerum relinquant.

ASA FOETIDA.

Succus concretus, granis inter se conglutinatis constans rubescentibus aut fuscescentibus, guttis albescentibus conspersis, interdum diaphanis, frigore fragilibus, calore amolliendis, odoris fœtidissimi, alliacei, saporis acris, amaricantis.

In alcohole rectificato ultra dimidia pars solvitur. Præferenda illa asa fœtida quæ plures exhibet guttas albas, illaque abjiciatur quæ massis fusco-nigrescentibus constat.

ATROPINUM.

Pulvis crystallinus albus, odoris expers, saporis acris et amari, chartæ exploratoriæ rubræ colorem cæruleum inducens; in aquæ frigidæ 300 partibus solubilis; solubilior vero in aqua calida et in æthere; facillime tandem solubilis in alcohole concentrato, in chloroformio et in alcohole amylico. Calefactus liquescit, fumos albos odoris proprii spargit, et in aere sine residuo ardescit.

Gutta solutionis (in part. millesima) in oculum immissa, brevi et fortiter pupillam dilatat.

AURIPIGMENTUM.

Sunt crystalli parvæ seu massæ crystallinæ, foliaceæ vel fibrosæ, coloris flavi colori auri similis, nitentes, odoris et saporis expertes, igne ex toto volatiles, in aqua regali, in soda, in potassa et ammonia solubiles.

Tubo ferrumentario super prunas calefactum, comburitur flammam exhibens cœruleam, fumosque albos spargendo simul ac odorem alliaceum et sulphurosum.

AURUM FOLIATUM.

Aurum in lamellas tenuissimas reductum. Sit in acido nitrico plane insolubile.

Acidum nitricum, in aurum reagere si cogatur, excedente ammonia non induit colorem cœruleum.

AXUNGIA.

R. Adipis porcini. . . . . Q. V.

Sejunge invicem membranas et partes rubras; adipem concide et in mortario marmoreo pila. Balneo mariæ calefac usquedum liquescat massa et sit limpida; deinde per linteum strictioris texturæ traducatur donec liquidum album et opacum factum fuerit.

Hoc tandem effunde in vasa omnino implenda et loco frigido siccoque collocanda.

AXUNGIA BENZOATA.

R.	Benzoës pulverati	40
	Axungiæ recentis.	1,000

Calefiant balneo vaporis per horas duas et colentur.

BALNEUM ARSENICALE (Tessier).

R.	Acidi arseniosi	10
	Sulphatis ferrosi	100
	Aquæ pluvialis.	Q. S.

Ebulliant per semihoram ut sint liquoris partes 1,000.
N. B. In usum medicinæ veterinariæ.

BALSAMUM COPAIVÆ.

Est oleo-resina pellucida, pallide flava, olei ricini consistentiæ, odoris proprii, fragrantis, aromatico-balsamici, saporis primum oleosi, dein amariusculi, acris, ingrati, ponderis specifici 0.950, in alcohole, æthere et oleis solubilis.

Sit germana, nec terebinthina, nec oleo pingui adulterata. Terebinthina, balsamo ferro candenti instillato, odore proprio sese prodit.

Quum pars una ammoniæ causticæ 22° cum binis partibus et dimidia balsami copaivæ in tubo vitreo clauso, temperatura 10° ad 15° C., miscetur, liquidum brevi tempore limpidum evadit, si balsamum purum est; lactescens vero remanet, si cum oleo pingui adulteratur. Gutta balsami puri chartæ scriptoriæ apposita, leni igne celeriter exsiccatur, pelliculam siccam, translucentem, absque annulo oleoso, relinquens.

BALSAMUM COPAIVÆ SOLIDEFACTUM.

R.	Hydratis magnesiæ	80
	Copaivæ	920
		1,000

Misce. Miscela, aliquo tempore elapso, solidefit.

BALSAMUM FIORAVENTI.

R.	Nucis moschatæ	10
	Caryophyllorum	10
	Radicis zingiberis	10
	Corticis cinnamomi	10
	Myrrhæ	18
	Galbani	18
	Styracis liquidi	18
	Baccarum lauri	27
	Terebinthinæ	36
	Alcoholis 80° C.	1,000
	Aquæ	500

Substantiis solidis contusis appone alcoholem reliquasque materias; macera deinde per diem et ex balneo mariæ exstillent 1,000 partes alcoholati 75° C.

BALSAMUM OPODELDOCH LIQUIDUM.

R.	Spiritus saponis	725
	Spiritus camphoræ	225
	Ammoniæ liquidæ	30
	Olei essentialis rorismarini	15
	Id. thymi	5
		1,000

Msce.

BALSAMUM OPODELDOCH SOLIDUM.

R.	Saponis animalis	100
	Camphoræ	80
	Ammoniæ liquidæ	25
	Olei essentialis rorismarini	15
	Id. thymi	5
	Alcoholis 92°	775
		1,000

In cucurbita, alcoholem saponemque prius in pulverem redactum, liquefac balneo mariæ, dein appone camphoram pulveratam simul ac olea essentialia. Post completam solutionem filtra, et apposita

ammonia, miscelam inter vasa aperturam latam, amplitudinemque 100 circiter centimetrorum cubicorum præbentia distribue, vasaque ipsa obturamentis, quorum pars inferior folio stanneo sit munita, claudantur.

BALSAMUM PERUVIANUM NIGRUM.

Balsamum syrupi spissi crassitudinem exhibens, rubro-fuscum, in lamina tenui translucidum, in massa opacum, odoris suavis, siliquæ vanillæ odori affinis, saporis primum mitis, dein acris et amari; ponderis specifici 1.14—1.15. In alcoholis rectificati sextuplo pondere fere ex toto solvitur; solutio primum turbida calore adhibito fit limpida, pauco sedimento insolubili relicto. Si aqua adhibita calefiat, balsamum dimensionis suæ quantitatem sensibilem non deperdat, neque oleum æthereum edat.

BALSAMUM TOLUTANUM.

Massa resinosa, plus minusve solida, translucens, coloris ex flavo fusci, dentibus inter masticandum adhærens, saporis mitis aromatici, odoris suavis balsamici, calore emollienda simul ac chloroformio solutioneque potassæ causticæ, in benzina et sulphureto carbonis insolubilis.

BALSAMUM VITÆ HOFFMANNI.

R.	Balsami peruviani	5
	Olei volatilis caryophyllorum . . .	5
	Id. macidis	5
	Id. lavandulæ.	5
	Id. cinnamomi	2.5
	Id. citri	2.5
	Alcoholis 92°	975
		1,000

Misce et filtra.

BENZINUM PETROLEI.

Liquor limpidus, coloris expers, odoris peculiaris, in aqua minime, in spiritu æthereque facilius solubilis, ponderis specifici 0.680 ad 0.700, calore 60 ad 80° C. ebulliens, valde inflammabilis, plane volatilis.

Cave ne benzino substantia nomine ætheris petrolei distincta, commisceatur.

BENZOAS SODICUS.

R.	Acidi benzoici	15
	Bi-carbonatis sodici	10
	Aquæ destillatæ	20

Acido benzoico et bi-carbonati sodico in pulverem tenuem redactis appone aquam destillatam; fiat reactio unius horæ calore ordinario, dein balneo mariæ exsicca.

Massa aspera, alba, in aere immutabilis, debilem acidi benzoici odorem exhibens, saporis mitis dein acris, in aqua facile sed in alcohole parum solubilis.

BENZOE.

Exhibetur in placentis seu glebis magnitudine formaque variis, luteo-fuscis, opacis, friabilibus, fracturæ resinosæ, frustulis aut granis subrotundis albidis diaphanis plus minus intermixtis, odoris suavis, proprii, saporis primum dulcis dein acris, pungentis. Quo plura continet frusta pellucida et alba, eo melior benzoe. In tribus spiritus vini rectificati partibus fere ex toto, in æthere pro maxima parte solvitur.

BISMUTHUM DEPURATUM.

Est metallum fragile, nitens, coloris ex albo-flavescentis, ponderis specifici 9.822. Acido nitrico frigido sine residuo solvitur; solutio, aqua multa affusa, pulvere albido turbida fit; hic pulvis cum acido sulphurico excedente calefactus et in apparatum marshianum immissus nulla arsenici vestigia præbet.

BOLUS ARMENIÆ.

Terra argilacea exhibens frusta amorpha, pallide flavo-rubra, tactu pinguia, depingentia, lævia, linguæ adhærentia, fracturæ conchoidalis, odoris argilacei, saporis parum constringentis.

Aquæ immersa cum strepitu dissiliant et cum acidis non effervescant.

BOLUS ARMENIÆ PRÆPARATUS.

R. Boli Armeniæ. . . . . Q. V.

Bolum immitte in pelvim cum aquæ decuplo pondere interdumque permove donec lac præbeat ; tunc strenue totam massam cum spatula agita, et, concessa per aliquot minuta quiete, liquorem adhuc turbidum decantha : eadem operatio repetatur usquedum particulæ tenues omnes separatæ fuerint. Sedimento rejecto, seponantur liquores ut separetur residuum, hocque sedimentum in linteo exstilletur et tandem siccetur.

BOLUS DRASTICUS ANGLICUS.

R.	Aloës barbadensis	35
	Gummi resinæ guttæ	4
	Saponis albi	10
	Olei volatilis anisi	1

Inserviant conficiendo uni bolo.

BOLUS PURGATIVUS.

R.	Aloës Capensis	15
	Carbonatis magnesiæ	1
	Pulveris gentianæ	4
	Saponis albi	5

Pro uno bolo.

BORAX.

BORAS SODÆ.

Borax in crystallis prostat prismaticis sexangulis aut in frustis crystallinis, nitentibus, decoloribus, subdiaphanis, duris, in aere parum fatiscentibus, odoris expertibus, saporis primum mitis dulciusculi, dein alcalino-amari. In duodecim partibus aquæ frigidæ, et in duabus aquæ bullientis plane solvitur. Curcumam rubro-fuscam tingit. In alcohole sit insolubilis; acidis non effervescat, ejusque solutio aquosa, addita solutione carbonatis potassæ, aut sulphohydrate ammonico adjecto, non turbetur. Solutio diluta et acido

nitrico acidulata neque chloruretum baryticum, neque nitratem argenticum præcipitat.

BROMUM.

Liquidum maxime volatile, coloris e fusco obscure rubri, odoris fortis, ingrati, ad odorem chloricum accedentis, saporis acris, caustici. Temperatura ordinaria vapores rutilantes emittit, et calore 63° ebullit plane avolans.

In aqua parum solvitur, copiosius in alcohole, optime in æthere. Pondus specificum, 2.99.

Ex toto solvitur in potassa caustica et in soda caustica; solutio aquosa limaturæ ferri copia superabundante decolorata, posteaque cum aliquibus chlorureti ferrici liquidi et chloroformii guttis conquassata, chloroformium violaceum non tingit.

Solutio alcalina cum bi-chromate potassico et acido sulphurico excedente distillata liquorem præbet fuscum qui in potassa vel soda causticis solvitur quin colorem flavum induat.

In lagena epistomio vitreo clausa servetur, quæ in vase pleno aqua ponatur.

BROMURETUM POTASSII.

Crystalli cubicæ decolores, saporis salsi, pungentis, in aqua facillime, sed in alcohole multo difficilius solubiles, in aere persistentes. Crystallorum pondus specificum est 2.415.

Calefactæ decrepitant, igne vero rubescentes sine decompositione liquefiunt.

Cum bi-chromate potassico et acido sulphurico excedentibus destillatæ, liquorem fuscum præstant, cujus color acido sulphuroso vel potassa seu soda causticis penitus amittitur.

Solutio chlorureti palladosi vel mixtura nitratis palladii et chlorureti alcalini præcipitatum nullum in hujus bromureti solutione gignunt, neque si per longiorem moram in ipsius contactu permaneant vel si calor adhibeatur.

Bromureti solutio aquosa neutralis est et chlorureto barytico non præcipitatur; apposita acidi nitrici fumantis aut chlorureti ferrici quantitate exigua, colorem violaceum chloroformio vel sulphureto carbonis cum quo conquassatur, non tribuit.

Decem centimetra cubica solutionis aquosæ, cujus centum centimetra cubica bromureti sicci dua grammata continent, quibusdam guttis solutionis chromatis potassici additis, solutionis normalis decimæ nitratis argenti non ultra 17.2 centimetra cubica postulant, ut colorem rubrum stabilem induant.

BULBUS SCILLÆ.

Bulbus præmagnus, ovato-globosus, ponderosus, fusco-rubens, ex squamis constans concentricis, imbricatis, adpressis, externis aridis lineatis, interioribus albis, striatis, hinc inde præcipue secundum nervos subrubentibus, in bulbo recente succo viscido, acri, peramaro turgentibus.

Squamæ scillæ exsiccatæ, corneæ, subpellucidæ, nervoso-lineatæ, odoris debilis, saporis nauseosi, amari, subacris.

Rejiciantur squamæ fuscæ et humidæ.

Serventur in vasis clausis.

BUTYRUM.

Butyrum pro usu pharmaceutico extrahatur ex lacte vaccæ.

Sit odoris expers, saporis blande grati, a sero liberum, nec sale conditum ; in æthere plane solvatur.

CALOMELAS.

Calomelas sublimatione et concretione præcipiti vaporis chlorureti hydrargyrosi parandum. Est pulvis subtilissimus, albus, odoris et saporis expers, ponderosus, in aqua, alcohole et æthere insolubilis. In vase clauso calefactus, non liquescens ex toto avolat. In alcohole concentrato dilutus, post filtrationem aqua calcis non edit præcipitatum flavum, neque nigrum acido sulfo-hydrico.

Cum solutione potassæ causticæ commixtus intense nigrescit, quin odorem ammoniacalem edat. Si super laminam cupream bene mundatam cum æthere misceatur, cuprum evaporatione facta leniter fricatum non albesceat.

A luce remotum servetur.

CALX VENALIS.

Pro usu pharmaceutico adhibeatur calx pinguis dicta, et frustis albis constans. Dimidio pondere aquæ affuso valde incalescit et intumescit, deindeque in pulverem subtilissimum dilabitur.

Acido chlorhydrico diluto fere ex toto solvitur quin vehementer effervescat; solutio autem ammonia supersaturata vix coloratur sulfohydrate ammonico.

Servatur in loco sicco, vasibus clausis.

CAMPHORA.

Camphora est alba, nitida, luci quidquam pervia, fragilis, ad attactum subpinguis, compagis subcrystallinæ, odoris proprii, fragrantis, saporis acris, aromatici, amaricantis, cum sensu primo ustionis, postea refrigerationis insignis. Aeri libero exposita sensim avolat; accensa absque residuo deflagrat; in aqua parum, sed in spiritu vini necnon in ætheribus et in oleis, tum unguinosis, tum æthereis, plane solvitur.

Ponderis specifici, 0.98.

Servatur in vasibus clausis.

CANTHARIDES.

LYTTA VESICATORIA.

Coleopterum oblongum, 18 ad 20 millimetra longum, elytris coloris aureo-viridis, splendentis, in cæruleum tendentis, necnon duabus antennis nigris et filiformibus instructum; est odoris proprii non putridi.

Eligantur recentia, graveolentia, apte siccata, integra, cavendo ne sint oleo illita.

Cantharidinæ ad minimum 4 partes pro 1,000 contineant.

Serventur vase clauso, in loco sicco.

CANTHARIDINA.

R. Cantharidum in pulverem semi subtilem redactarum partes 1,000

Cantharides methodo lixiviatoria ætheris ope exhauriantur. Solu-

tionem destilla calore non excedente 40°; residuum sulphidi carbonici ope lava usquedum eodem sulphido non amplius auferantur corpora pinguia; deinde hoc residuum in alcohole rectificato fervido solutum filtra et temperatura ordinaria evapora. Crystallos caute serva.

N. B. Æther ex hac operatione prodiens pro eadem præparatione reservetur.

Sunt crystalli prismaticæ, coloris et odoris expertes; in aqua et sulphido carbonico non solvuntur; solvuntur autem in alcohole, in æthere, in chloroformio, in corporibus pinguibus necnon in plerisque oleis essentialibus; temperatura ordinaria avolant; calore liquescunt et sub forma aciculari sine residuo sublimantur.

CARAGAHEEN.

Alga hæc siccata adfertur in segmentis polymorphis, digitum et ultra longis, dichotomis laciniis linearibus, cuneatis, cartilagineis, subdiaphanis, coloris ex subflavo albi, odoris debilis, marini, saporis mucilaginosi, subsalsi.

CARBO ANIMALIS.

Combustione ossium mammalium, in vasis destillatoriis obtinetur.

Characteres notissimi. Rejiciantur carbones alcalini aut qui acidum sulpho-hydricum, affuso acido diluto, emittunt.

Convenit ut eligatur in granis divisus.

CARBO ANIMALIS DEPURATUS.

R.	Carbonis animalis in granis redacti . .	500
	Acidi chlorhydrici	350
	Aquæ	500

Acidum cum aqua dilue, deinde addatur carbo animalis, macera per biduum quandoque agitando.

Decanthatione ablue usquedum aqua ablutionis non amplius ammonia præcipitetur.

Exstilla et sicca.

CARBO LIGNI.

Eligantur carbones in frustis satis magnis, solidis, fragilibus, levibus, quodammodo sonoris si materiam duram contingant, figuram ligni retinentibus, urendo nullum odorem spargentibus.

CARBO LIGNI DEPURATUS.

R. Carbonis ligni . . . . Q. V.

In pulverem subtilissimum redacto adde sufficientem aquæ quantitatem ut habeatur pasta quam cum multa aqua dilues. Sine subsidat, dein ablue usquedum lotionis aqua chartam exploratoriam rubram non amplius mutet. Sicca et in vase clauso serva.

Pulvis niger, levis, odoris et saporis expers, sine flamma et fumo ardens, neque nisi paucissimos relinquens cineres, quorum solutio nitrica diluta non coloratur acido sulpho-hydrico.

CARBONAS AMMONIÆ.

Massa alba, pellucida, fibrosa, odoris ammoniacalis penetrantis, ex toto volatilis, in alcohole forti insolubilis, in aquæ vero duplo pondere solvitur. Solutio aquosa acido nitrico puro saturata non spargit odorem empyreumaticum ; non præcipitatur salibus baryticis, neque oxalate ammonico, neque acido sulpho-hydrico.

Nitrate argentico nullo modo aut vix turbatur.

CARBONAS AMMONIÆ PYRO-OLEOSUS.

R. Carbonatis ammonici 20
Olei pyro-animalis. 1

Probe mixta in retortam vitream collo brevi instructam ingerantur et, annexo excipulo minoris amplitudinis uno vel duobus additamentis, fiat leni calore sublimatio. Apparatu refrigerato, salem excoctum e collo retortæ et excipulo exemtum serva in lagunculis bene clausis, loco obscuro.

Aeri exposita nigrescit, tunc denuo sublimetur.

Massa albo-flavescens, texturæ crystallinæ, odoris penetrantis

ammoniacalis simulque empyreumatici, in binis aquæ partibus solubilis, calore omnino volatilis.

CARBONAS CALCIS.

R.	Marmoris albi in fragmenta redacti. . . .	1,000
	Acidi chlorhydrici	2,000
	Carbonatis sodici crystallisati	2,600
	Hypochloritis calcici.	50
	Calcis vivæ	50
	Aquæ.	13,000

Aquæ partibum 3,000 admisce acidum chlorhydricum, quibus addatur marmoris indicata quantitas, vel ad minimum quantitas leviter excedens.

In solutionem infunde hypochloritem calcicum calcemque in aquæ parva quantitate dilutam; post reactionem aliquot horarum filtra.

Calefac liquorem ad ebullitionem, eique, indesinenter agitando, carbonatem sodicum in reliqua aqua solutum, sensim affunde. Sepone ad subsidendum; decanthatione deinde lava; atque, cum lixiviationis aqua non amplius turbatur nitríco argentico, præcipitatum in linteum concentratum effusum exstilla, in furno dessiccatorio sicca et per cribrum sericeum cola.

Pulvis albus, odoris et saporis expers.

Acido nitrico ex toto et cum effervescentia solvitur. In solutione non gignitur præcipitatum neque acido sulpho-hydrico, neque ammonia, neque ferro-cyanureto potassico, neque nitrate argentico.

CARBONAS FERRI.

R.	Sulphatis ferrosi crystallisati ac puri. . . .	5
	Carbonatis sodici crystallisati	6

Seorsim in aquæ destillatæ sufficiente quantitate solve et filtra. Solutionem sulphatis ferri cum solutione carbonatis sodici, per partes et continue agitando misce, et sepone. Præcipitatum, quamdiu aqua abluens alcalina sit, decanthatione abluatur; et dein, convenienter exhaustum lenissimo calore siccetur; tandem pulveretur et in lagena obturata servetur.

Pulvis subtilis, plus minusve fuscus, saporis expers, in acido chloro-hydrico frigido diluto plane cum effervescentia solvitur. Solutio, liquore ammoniæ excedentis supersaturata et filtrata, liquidum cæruleum non præbeat.

CARBONAS FERRI SACCHARATUS.

R.	Sulphatis ferrosi puri	5
	Bi-carbonatis sodici.	4
	Sacchari pulverati	8

Separatim solve sulphatem ferrosum in aquæ destillatæ calefactæ partibus 20, et bi-carbonatem sodicum in aquæ destillatæ frigidæ partibus 50; in vase magno coangustata apertura terminato solutionem sulphatis solutioni bi-carbonatis affunde; misce, vas aqua fervida impletum obtura et sepone ad subsidendum per 2 horas. Quo facto defundatur liquidum limpidum, vas immediate aqua bulliente denuo repleatur; statim ac subsederit, iterum defundatur liquidum, sicque perge donec liquidum chlorureto barytico non amplius præcipitetur. Præcipitatum humidum effunde in capsulam porcellaneam quantitatem sacchari indicatam continentem, et ad siccitatem balneo mariæ evapora. Redige in pulverem subtilem, vase bene obturato servandum.

Pulvis e viridi cinereus, saporis prius saccharati, dein leviter ferruginosi : cum effervescentia in acido chloro-hydrico solvitur, solutioque chlorureto barytico non præcipitatur. 100 partes carbonatis ferri saccharati 20 partes carbonatis continent.

Abjiciatur carbonas ferri saccharatus quando colorem fuscum induerit, nec amplius nisi debilem effervescentiam, admotis acidis, produxerit.

CARBONAS LITHII.

Est pulvis albus, odoris expers, nullius formæ vel crystallinæ, reactionis alcalinæ, in alcohole insolubilis, in aquæ vero frigidæ 100 partibus solubilis.

Acido chloro-hydrico cum effervescentia solvitur; solutio autem ad siccitatem evaporata sedimentum relinquit album cum flamma colore rubro insignito flagrans. Solutio aquosa hujus residui non

turbatur neque alcohole, neque acido sulpho hydrico, neque oxalate ammonico, neque sulphate calcico, neque aqua calcis; dum est sufficienter concentrata et calida, phosphate sodico præcipitatum album gignit.

CARBONAS MAGNESIÆ.

Sal iste venditur sub forma massæ plerumque cubicæ, seu sub forma pulveris albi, subtilissimi, levis, odore et sapore carentis, aqua haud solubilis. Igne decomponitur, aquam acidumque carbonicum emittens. Acido acetico cum effervescentia plane solvitur; quæ solutio ope ammonii oxalici vel sulpho-hydrici non præcipitatur; ammonia caustica excedente commixta, sedimentum album exhibet, ammonio carbonico, at non potassa caustica solubile.

Aqua destillata cum carbonate magnesiæ ebullita colorem chartæ curcumæ non mutat; chloruretum baryticum non præcipitat neque nitratem argenticum.

CARBONAS POTASSÆ DEPURATUS.

R.	Carbonatis potassici venalis	4
	Aquæ destillatæ.	3

Commisce et miscelam subinde agitandam per aliquot dies sepone, amplissima superficie aeri expositam. Percolatum dein lixivium in vase ferreo probe mundato ad siccitatem usque evapora, curando ut sub finem ferveat vasis fundus, et massa continuo agitetur ne vasi adhæreat sal, quem mox exemtum in lagenam probe claudendam immitte.

Pulvis albus, granulosus, in aere deliquescens, in aquæ destillatæ æquo pondere solubilis, in alcohole insolubilis.

In solutione aquosa supersaturata acido nitrico diluto, non deponuntur flocci albi. Ammonia, chlorureto barytico, nitrate argentico eadem solutio vix turbatur. Acido sulpho-hydrico non præcipitatur.

Hace solutio, prius chlorureto ferrico salem ferrosum continenti, deinde acido chloro-hydrico diluto excedenti immixta, præcipitatum cæruleum non gignit.

CARBONAS POTASSÆ PURUS.

Pulvis albus, facillime deliquescens, in aquæ frigidæ æquo pondere solubilis sed non in alcohole.

Solutio acido nitrico puro neutralisata neque nitrate barytico, neque nitrate argentico, neque ammonia, neque acido sulpho-hydrico turbatur.

Sulpho-cyanureto potassico colorem rubrum non induit. Acido nitrico excedente et aliquot solutionis molybdatis ammonici guttis immixta, calore non flavescit.

Solutio carbonatis potassici concentrata commixta cum acido sulphurico diluto prævalente non aufert, neque si calefiat, colorem solutionis indigo.

Demum, acido chloro-hydrico supersaturata, et ad siccitatem evaporata, solutio carbonatis potassici puri residuum album præbet quod iterum in aqua, sine ullo residui vestigio, solvitur.

Hujus salis unum gramma ad minus 14.46 centimetra cubica acidi oxalici normalis saturet.

CARBONAS POTASSÆ VENALIS.

Eligatur granulosus vel in massis fragilibus, cavernulosis, coloris albi aut e griseo cœrulescentis, facile in aere deliquescentibus, saporis lixiviosi.

Nonnisi exploratione alcalimetrica vis ejus dignosci potest. Contineat 69-70 pro centum carbonatis potassæ puri; in quo casu, unum hujus salis gramma ad minus 10 centimetra cubica acidi oxalici normalis saturat. Rejiciatur carbonas potassæ, affuso acido sulphurico diluto, acidum sulphurosum aut sulpho-hydricum emittens.

BI-CARBONAS POTASSÆ.

Crystalli prismaticæ, oblique rhombicæ, colore carentes, pellucidæ, non deliquescentes, in aquæ partibus 4, temperatura 15°, solubiles.

Solutio aquosa chartam exploratoriam flavam fusco colore non afficit, neque sulphate magnesiæ frigido præcipitatur. In solutione chlorureti hydrargyrici præcipitatum album nullatenus flavum, gignit.

Acido nitrico diluto supersaturata non præcipitatur neque nitrate argentico neque nitrate barytico. Bi-carbonas potassicus in acido acetico solutus acido sulpho-hydrico neque turbatur, neque coloratur.

Salis 1 gramma 9.9 centimetra cubica ad minus acidi oxalici normalis saturet.

CARBONAS SODÆ.

Sit albus, in aere fatiscens, in binis aquæ frigidæ partibus solubilis, in alcohole insolubilis, saporis alcalini. Solutio aquosa acido nitrico saturata non turbatur nitrate argentico, neque chlorureto barytico, neque acido sulpho-hydrico, neque sulpho-hydrate ammonico.

1 gramma hujus salis 6.9 centimetra cubica ad minus acidi oxalici normalis saturet.

CARBONAS SODÆ SICCATUS.

Carbonatem sodæ depuratum in capsula porcellanea calefac quamdiu in aqua crystallisationis liquescat; tum sub continua agitatione calefacere perge quamdiu massa exsiccata sit, nec vapores eliciantur. In vasis vitreis apprime clausis serva.

Sal iste iisdem notis, quibus carbonas sodæ, insigniatur. Calore rubescens, non amittit ponderis partem sensibilem.

1 gramma 18.8 centimetra cubica ad minus acidi oxalici normalis saturet.

CARBONAS SODÆ VENALIS.

In massis prostat irregulariter crystallinis, pellucidis, aere fatiscentibus, saporis alcalini, colores cœruleos vegetabiles in viridem non mutans. Solvitur in binis partibus aquæ frigidæ, non vero solvitur in alcohole.

Igne liquatur aquam emittens.

Rejiciatur qui metallis aliis inquinatus est, aut qui, affuso acido sulphurico diluto, gas acidum sulpho-hydricum vel sulphurosum emittit.

Sal iste 33-35 p. c. carbonatis sodici puri anhydri contineat, in quo casu, unum salis gramma ad minus 6.2 centimetra cubica acidi oxalici normalis saturare debet.

BI-CARBONAS SODÆ.

Sunt massæ crystallinæ opacæ, vel pulvis albissimus, saporis vix alcalini, colorem flavum chartæ exploratoriæ non mutans, in aquæ frigidæ 13 partibus, at non in alcohole solubilis.

Aqua bulliente decomponitur bi-carbonas sodicus gas acidum carbonicum emittens.

Solutio aquosa frigide peracta non præcipitatur sulphate magnesico; cum chlorureto hydrargyrico præcipitatum album gignit; acido nitrico supersaturata, non nisi leviter turbetur nitrate argentico et nitrate barytico.

Bi-carbonas sodicus acido sulphurico prius saturatus et vasi zincum purum et acidum sulphuricum dilutum continenti infusus, non emittit gas quo coloretur charta alba nitrate argentico infecta.

BI-CARBONAS SODÆ DEPURATUS.

R. Bi-carbonatis sodæ venalis . . . Q. V.

Salem pulveratum in infundibulum vitreum cono ex lanugine imperfecte clausum immitte; pulveris superficie lævigata, ipsum charta alba bibula cooperi, chartæque margines juxta infundibuli parietes adapta. Aqua destillata in chartam effusa liquorem ablue usquedum aqua ex infundibulo defluens non amplius det cum chlorureto hydrargyrico nisi præcipitatum valde debile, et non amplius turbetur, acido nitrico supersaturatus, neque nitrate argentico neque nitrate barytico.

Exsicca temperatura 50° C. non excedente.

Pulvis albus, notis pro bi-carbonate sodico indicatis insignis.

Solutio aquosa acido nitrico supersaturata non turbatur nitrate argentico neque nitrate barytico. Salis unum gramma calore præbeat saltem 625 milligrammata carbonatis neutri; ad minus 11.9 centimetra cubica acidi oxalici normalis saturet.

CARICÆ.

Fructus siccati notissimi. Eligantur caricæ pingues, molles, dulcissimæ, ponderosæ; rejiciantur nigræ, duræ, aut ab insectis erosæ.

CASTOREUM.

Secretio peculiaris in duobus folliculis genitalia castoris fibri comitantibus contenta.

Est plus minusve friabile, e nigro fuscum, fractura nitens, odoris fortis proprii, membranulis tenuibus et cellulosis intertextum.

Rejiciatur castoreum artefactum, quem distinguant color niger, odor debilis et membranarum cellulosarum absentia.

CATECHU.

In frustis adfertur inæqualibus, multiformibus, solidis, compactis, ponderosis, fragilibus, fracturæ nitidæ lamellosæ, extus e nigro fuscis, intus e rufo fuscis, striis pallidioribus intermixtis, linguæ minime adhærentibus, inodoris, saporis acerbi et adstringentis, tum sacchari sapori similis et subamaricantis.

Catechu in spiritu vini diluto et in aqua penitus vel pro maxima parte solvitur. Solutio ejus aquosa cum chlorureto ferrico præcipitatum viride, non autem cæruleo-nigrum, edat.

CAUSTICUM CANQUOIN.

N. 1.	R.	Chlorureti zinci	1
		Farinæ tritici	2
N° 2.	R.	Chlorureti zinci	1
		Farinæ tritici	3
N° 3.	R.	Chlorureti zinci	1
		Farinæ tritici	4
N° 4.	R.	Chlorureti zinci	1
		Farinæ tritici	5

Fiat cum aquæ sufficienti quantitate pasta in lacinias tenues dividenda. Paretur ex tempore.

CAUSTICUM FILHOS.

R.	Potassæ causticæ calce paratæ	100
	Calcis vivæ pulveratæ	20

Liquefiat potassa; tum fusione tranquilla liquescenti immisce

calcem, totumque in tubos plumbeos quorum variæ sint diametri, vel in modulos effunde. Casu quo eliguntur moduli, oportet cylindri immediate gutta-percha circumdentur.

Utraque species cylindrorum in tubis vitreis calcem vivam continentibus et clausis servatur.

CAUSTICUM VIENNENSE.

R. Potassæ causticæ.	100
Calcis vivæ pulveratæ	120

Fiat cito pulvis in mortario ferreo calefacto et servetur in vitris rite clausis.

CERA ALBA.

Actione simultanea aeris, aquæ et solis in ceram flavam paratur.

Venditur sub forma laminarum tenuium vel discorum; est alba, fragilis, in tenuissimis laminis diaphana, fere odore et sapore carens.

Pondus specificum, 0.97.

Liquescit calore 63°-65° C.

Ætheris decuplo pondere conquassata, illi dimidiam partem cedit.

CERA FLAVA.

Ab apibus mellificis L. elaboratur.

Cera flava seu citrina e favis eliquatur. Sit sature flava, solida, tenax, fracturæ granulosæ, odoris proprii submellei; masticata dentibus non adhæreat.

Ponderis specifici, 0.96; liquescit calore 62°-63° C., liquidum limpidum præbens; in aqua non solvitur, solvitur autem in ætheris 20 partibus et in oleo terebinthinæ.

Alcohol dilutus frigidus nullam substantiam resinosam ex cera flava extrahit.

CERATUM.

R. Ceræ albæ.	250
Olei amygdalarum dulcium	750
	1,000

Balneo vaporis liquata et ab igne remota agitentur donec refrixerint.

Sit album, odoris non rancidi.

CERATUM GALENI.

R.	Cerati simplicis	550
	Olei amygdalarum dulcium	150
	Aquæ rosarum	300
		1,000

Cerato prius oleum, dein aquam rosarum leviter calefactam immisce.

CERATUM LABIALE.

R.	Olei amygdalarum dulcium	664
	Ceræ albæ.	332
	Carmasini	3
	Essentiæ rosarum.	1
		1,000

Ceram in oleo balneo mariæ calefacto liquefac; mixturæ partim refrigeratæ appone carmasinum prius parvâ olei quantitate dilutum, dein essentiam rosarum.

CERATUM LAUDANISATUM.

R.	Cerati simplicis	900
	Laudani Sydenhami	100
		1,000

Misce.

CERATUM OPIATUM.

R.	Extracti opii	10
	Aquæ	10
	Cerati simplicis	980
		1,000

Extractum opii in aqua solve, solutionemque cerato appone.

CERATUM SATURNI.

R.	Cerati Galeni	970
	Sub-acetatis plumbici soluti	30
		1,000

Misce ex tempore.

CERUSSA.

Sal prostans in massis coloris albissimi, ponderosis, amorphis aut lamellatis, vel arte in tabulas aut in conos formatis, facile in pulverem terendis.

Acido nitrico diluto et acido acetico sit perfecte solubilis.

Hæ solutiones acido sulpho-hydrico excedente præcipitatæ et filtratæ non turbantur carbonate sodico.

CETACEUM.

Substantia est alba, subpellucida, duriuscula, nitoris pinguis sericei, texturæ crystallino-lamellosæ, tactu mitis nec unguinosa, friabilis, saporis blandi. Ponderis specifici, 0.943; calore circiter 44° C. liquescens, in alcohole calefacto et in æthere solubilis.

CHARTA ARSENICALIS.

R.	Arseniatis sodici	1
	Aquæ destillatæ	30

Salem in aqua solve; totam solutionem charta bibula absorbeat. Charta siccata in viginti partes æquas, quarum unaquæque 5 centigrammata arseniatis sodici contineat, dividatur.

Singula charta quadrata convolvitur et in tubum chartaceum formam cigarettæ præbentem immittitur.

CHARTA CHIMICA.

R.	Olei olivarum	654
	Minii pulverati	326
	Ceræ flavæ	20
		1,000

Oleum in lebete valde amplo igni satis vehementi expone.

Oleo aliquot vapores emittenti appone oxydum plumbi, hoc quidem una manu sensim immittendo, altera vero manu longæ spatulæ ope liquorem conquassando. Ubi jam cessaverit a tumescendo, miscelam tamen supra ignem retine et continuo agita, usquedum appareat tumor ultimus ad quem attendas, spargitur emin tunc fumus prudentiæ causa vitandus.

Lebetem ab igne remove semperque agitare perge donec spuma subalba prodeat. Cera tunc apposita, adhuc per aliquot momenta post hujus fusionem, quæ cum crepitu peragitur, liquorem agita.

Charta in qua illiniatur emplastrum, sit charta tenuissimæ texturæ, et quæ sequenti modo reddatur impermeabilis :

R. Olei lini	410
Allii depurgati minutim concisi. . .	50
Essentiæ terebinthinæ	320
Oxydi ferrici porphyrisati	160
Cerussæ contritæ oleo paratæ . . .	60
	1,000

Oleum alliumque in lebete amplo igne leni calefac usquedum allium sit coloris perfusci, interim indesinenter agitando ut evaporetur humor; dein per linteum cola. Oleum sic paratum supra ignem una cum ceteris substantiis repone; mixturam agita eamque spongiæ ope in chartam prædictam extende, ac denique sicca per 15 dies, chartam super virgas appendendo.

In chartæ sufficienter siccatæ alterutra superficie extende emplastrum calefactum ope penicilli aliusve cujuscumque apparatus ad hunc usum accommodati.

CHARTA EPISPASTICA, N° 1.

R. Cantharidum	78	
Ceræ flavæ		433
Cetacei		217
Resinæ elemi		217
Terebinthinæ Venetæ.		133
		1,000

Cum aquæ sufficienti quantitate fiat emplastrum, coquendo et colando cantharides, uti præscriptum est pro unguento cantharidum albo. Dein in massam emplasticam, balneo maris, liquitam immerge segmenta chartæ scriptoriæ ut illinantur.

CHARTA EPISPASTICA, N° 2.

Paretur eodem modo ac præcedens sed cum cantharidum part. 90.

CHARTA NITRATA.

R. Nitratis potassici	230
Aquæ destillatæ	770
	1,000

Solve ; solutioni filtratæ immitte chartam bibulam, quæ exstillet et celeriter siccetur.

CHARTA PICATA.

R. Colophonii.	500
Picis liquidæ Norwegianæ	333
Ceræ flavæ	167
	1,000

Substantiæ mixtæ liquefiant, et miscela tenuissime in chartas illiniatur, modo quo fit pro sparadrapo.

CHARTA SINAPIS.

R. Farinæ sinapis nigræ	750
Farinæ sinapis albæ	250

Misceantur et sulphureto carbonis exhauriantur quamdiu eliciuntur materiæ pingues. Pulvis diluatur in quantitate sufficiente guttæ-perchæ ita paratæ :

Guttæ-perchæ	1
Sulphidi carbonici	10

Miscelam semi-liquidam super chartam spissiorem et deinde siccandam extende.

N. B. Tempore quo inservire debet, charta sinapis aliquot secundis aqua tepida immergatur et madens cuti imponatur.

CHLORAS POTASSÆ.

R.	Chloratis potassici venalis.	1
	Aquæ destillatæ fervidæ	3

Aqua bulliente solve, solutionemque filtra et sepone ad crystallisandum.

Crystallos exstilla, easque aqua destillata frigida ablue quamdiu aqua ablutionis præcipitat nitratem argenticum.

Crystalli lamellares, colore carentes, nitidæ, in aere immutabiles, in aquæ frigidæ 16-17 partibus, in aquæ bullientis 3 partibus solubiles.

Solutio aquosa non turbatur nitrate argenti, nec acido sulphohydrico, nec oxalate ammonico.

CHLORHYDRAS AMMONIÆ.

CHLORURETUM AMMONICUM.

In placentis prostat concavo-convexis, albis, subdiaphanis, texturæ fibroso-radiatæ, saporis ingrati salini, urinosi, caloris ope omnina avolantibus quin liquescant, et in aere non deliquescentibus.

Nonnisi depuratus in usum pharmaceuticum internum adhibeatur.

CHLORHYDRAS AMMONIÆ DEPURATUS.

R.	Chlorhydratis ammoniæ venalis	1
	Aquæ destillatæ.	3

Sale in aqua soluto, parvam sulphohydratis ammonici quantitatem adde, liquorem sepone, ac post filtrationem acidum chlorhydricum paulo excedens adde; denuo cola si necesse sit, ammonia satura et ad crystallisandum evapora.

Crystalli albæ, odore carentes, in aere constantes, saporis salini, acris, pungentis; si calefiant, penitus avolant quin colorentur.

Solutio aquosa non præcipitatur neque potassa caustica, neque chlorureto barytico, neque oxalate ammonico, neque sulpho-hydrate ammonico.

CHLORHYDRAS MORPHINÆ.

R.	Morphinæ pulveratæ	3
	Acidi chloro-hydrici	1
	Aquæ destillatæ.	4

Acido et aquæ ope balnei vaporis calefactis adde per vices morphinam quamdiu solvatur. Miscela bulliens filtrata lente refrigescat; post sepositionem 24 horarum, massam crystallinam inter linteum tenue exprime, et lenissimo calore super patinam exsiccatas crystallos caute in vase probe clauso serva.

Sal decolor, odoris expers, peramarus, neuter, in aquæ frigidæ 16 partibus, in aquæ autem bullientis æquo pondere, necnon in alcohole solubilis.

Calore rubescens in lamina platinica sine residuo avolat; solutio aquosa, potassa caustica excedente apposita, liquorem limpidum præbet.

CHLORHYDRAS PILOCARPINÆ.

Sal neuter, in crystallis prostans acicularibus albis, odore carentibus, saporis acris et amari, in aqua, alcohole et æthere solubilibus, non autem in chloroformio, characteres generales salium alcaloidicorum exhibentibus, nullum residuum incineratione facta præbentibus.

Solutio aquosa ammonia adjuncta si cum æthere conquassetur dissolvet æther alcaloidem, eumque per evaporationem deponet sub forma liquoris viscosi, acris amarique, in alcohole, in æthere, in chloroformio, in aqua ammoniacali et in acidis dilutis solubilis, nullo vero modo seu parum in aqua solubilis.

Sal iste caute servetur.

CHLOROFORMIUM.

Liquidum limpidum, coloris expers, mobilissimum, odoris suavis penetrantis, saporis pungentis saccharati; ponderis specifici 1.491 temperatura 17°; ebulliens calore 60°8 C.

Cum alcohole et æthere in quacumque proportione miscibilis, in

aqua vix solvitur, ita ut si in tubo gradato cum aquæ duplo volumine agitetur, volumen ejus fere non imminuatur.

Solutio hæc aquosa limpida est; neque chartam exploratoriam cæruleam neque solutionem nitratis argenti mutat.

Cum æquo volumine acidi sulphurici concentrati mixtum, non nigrescit, neque colorem viridem induit si apponatur gutta bichromatis potassici.

Non coloratur chloroformium agitatum cum solutione unius partis iodureti potassii in aquæ viginti partibus.

Solutioni alcoholicæ hydratis sodici admixtum neque calefit neque gas spargit.

Tandem in vitreum horologii effusum, celeriter penitusque avolat temperatura ordinaria.

PROTO-CHLORURETUM ANTIMONII LIQUIDUM.

R.	Sulphureti antimonii depurati et pulverati .	1
	Acidi chlorhydrici	4

Sulphuretum immitte cum acido in retortam vitream sat amplam ut ad dimidium vix impleatur. Collo retortæ aptetur tubus vitreus quo gas hydro-sulphuratum in auras rejiciatur, vel in apparatu Woulfiano ad sulpho-hydratum aut acidi sulpho-hydrici parationem accommodato, recipiatur. Retortam leniter calefac ad ebullitionem usque, per semihoram protrahendam. Liquorem refrigeratum in capsulam porcellaneam decapula et calore consume donec pondus specificum sit 1.40. Tunc, in vase vitreo longo bene obturato, liquidum sæpius turbidum sepone, tandem a sedimento decanthatum vitro bene clauso serva.

Liquor limpidus, subflavescens, ponderis specifici 1.40 — 1.44.

Cum aqua præcipitatum copiosum album et cum acido sulphohydrico aurantiacum exhibeat.

CHLORURETUM AURI ET SODII.

R.	Auri puri	10
	Acidi nitrici 1.33.	10
	Acidi chloro-hydrici 1.17	30
	Chlorureti sodici	3

Immitte aurum minutim concisum in retortam vitream, in qua jam contineatur miscela utriusque acidi.

Balneo arenæ calefac donec solutum sit metallum; solutionem in capsulam porcellaneam effusam balneo arenæ evapora ad consistentiam syrupi. Appone volumen æquum aquæ, chloruretum sodicum interim ope virgæ vitreæ agitando. Liquorem prius balneo arenæ concentratum evapora balneo mariæ donec exsiccetur.

Serva in vitro apprime clauso.

Sal aurei coloris flavi, in aqua plane solubilis, in aère fere immutabilis.

Solutio aquosa, ammonia excedente affusa, colorem cœruleum non assumat.

CHLORURETUM BARYI.

Crystalli lamellares vel tabellæ fere rectangulares, tenuissimæ, colore carentes, pellucidæ, in aere immutabiles, in alcohole anhydro insolubiles; solvuntur in 2, 3 partibus aquæ frigidæ, et in aquæ bullientis partibus 1.5.

Solutio colores vegetabiles non mutet, neque coloretur aut præcipitetur acido sulpho-hydrico et sulpho-hydrate ammonico.

Acido sulphurico leviter excedenti admixta, post filtrationem et evaporationem in folio platinico, non relinquit residuum stabile.

Chloruretum baryi pulveratum et alcohole aspersum non colorat istius liquidi flammam.

CHLORURETUM CALCII.

R. Acidi chloro-hydrici	250
Aquæ destillatæ	250

Misce et per vices injice :

Marmoris albi vel cretæ.	100

Solutionem decantha et adde :

Hypochloritis calcis	5

Infunde :

Calcis hydratæ	10

Filtra liquorem et evapora usquedum in bulliendo notet in densi-

metro 1.38; refrigeratione pulchras præbet crystallos chlorureti hydrati.

Obtinetur chloruretum calcii anhydrum calefaciendo hunc salem siccatum in crucibulo fictili ad liquationem igneam, eumque deinde supra marmorem lævigatum effundendo.

Chloruretum calcii est valde deliquescens et in aqua penitus solubile. Solutio est neutra, nec turbatur alcohole concentrato, ammonia aut sulpho-hydrate ammonico.

CHLORURETUM FERROSUM.

R. Limaturæ Martis vel clavorum ferreorum . 1
Acidi chlorhydrici 6

Ferrum immitte in lagenam vel cucurbitam vitream et affunde per vices acidum chlorhydricum. Quum gas hydrogenium sponte evolvi cessaverit, miscelam calefac, parvam limaturæ quantitatem addens si necesse sit, ut ejus pars aliqua sub finem intacta supersit. Post brevem ebullitionem, liquorem fervidum per filtrum cito trajectum, in patina porcellanea igni admotum, quam citissime ad siccum redige. Vasis siccis apprime clausis serva.

Massa salina e cæruleo pallide virescens, saporis styptici, aqua et spiritu vini solubilis, aeris contactu oxygenium attrahens, indeque colorem flavum induens.

CHLORURETUM FERRICUM ANHYDRICUM.

Sunt laminæ nigræ vel crystalli lamellares nitoris fere metallici, in aqua, alcohole et æthere facile solubiles.

Chloruretum ferricum celeriter aere humescit, mutaturque in liquorem flavo-fuscum, qui in loco sicco crystallos longas aciculares præbet.

Solutio aquosa ammonia excedente decomposita, filtratione edit liquidum coloris expers, quod si ad siccitatem evaporetur, residuum salinum penitus calore majore volatile relinquit.

CHLORURETUM FERRICUM AMMONIACALE.

R. Chlorureti ammonici. 120
Chlorureti ferrici liquidi 23

In capsula porcellanea misceantur et ad siccitatem, sub agitatione cum tubo vitreo, evaporentur.

Massam siccam in pulverem tenuissimum tere et in lagena probe claudenda serva.

Sit pulvis aurantiacus, deliquescens, in aqua plane solubilis.

CHLORURETUM FERRICUM LIQUIDUM

R. Ferri metallici (sub forma limaturæ, fili, clavorum aut ferri ex torno excidentis).	1,000
Acidi chlorhydrici puri	3,300
Acidi chlorhydrici venalis	7,000
Bi-oxydi manganesii	2,300
Aquæ destillatæ	Q. S.

Acidum chlorhydricum purum triplo aquæ pondere dilutum super ferrum metallicum effunde. Post reactionem calore ordinario peractam et eousque protractam donec hydrogenium sensibiliter lentius emittatur, miscelam moderate calefac quamdiu in præsentia ferri excedentis gas emittitur.

Solutionem deinde refrigeratam et ad pondus specificum 1.10 reductam filtra et infunde in duas lagenas Woulfianas, quarum altera liquoris duas tertias partes contineat.

Bi-oxydum manganesii in bulbum vitreum immitte, eique acidum chlorhydricum venale appone; bulbum autem conjunge cum lagena lixivatoria parvam aquæ quantitatem continente et cum lagenis Woulfianis, quibus infusa est solutio chlorureti ferrosi, communicante.

Apparatu ope luti probe clauso, chlorum per 12-20 horas absque calore sine emitti, dein moderato igne calefac ita ut, usquedum cesset reactio, lenta emissio perduret.

Si operatio hæc bene peracta fuerit, chloruretum ferrosum ex toto mutatum erit in chloruretum ferricum; quod constabit ope cyanureti ferrico-potassici, quod non amplius vestigium cœrulei Berolinensis præbere potest. Tali effectu dificiente, iterum produci debet chlorum.

Postea solutio chlorureti ferrici effundatur in capsulam porcellaneam, et calefiat balneo mariæ calore 50° non excedente vehemen-

terque agitetur donec chlorum excedens emissum fuerit; refrigeretur deinde, apponaturque aquæ destillatæ Q. S., ut sit solutionis pondus specificum 1.26.

Serva in lagena probe clausa.

Liquor flavo-fuscus, pellucidus. Ne acidum excedens contineat, quod dignoscitur ope chartæ fuchsina colorata, quæ non albescat.

Affuso cyanureto ferrico-potassico, non gignatur præcipitatum cœruleum; ammonia autem excedente affusa, gignitur præcipitatum fuscum. Liquor filtratus est incolor, nec ullum relinquit residuum quando evaporatur et sedimentum calcinatur.

Solutio hæc, chlorureti ferrici anhydri partes 26 pro 100, partibus 8.97 ferri metallici respondentes, continet.

CHLORURETUM SODII DEPURATUM.

R.	Chlorureti sodii venalis	1
	Aquæ destillatæ	4
	Carbonatis sodii quantum satis	Q. S.

Chlorureto sodii triplo aquæ pondere soluto instilla guttatim carbonatem sodii solutum quamdiu turbatur.

Liquorem filtratum evapora ut fiant crystalli, quæ a liquore innatante separatæ et leviter ablutæ siccentur.

Crystalli albæ, cubicæ, in aquæ partibus quatuor solubiles. Solutio aquosa, quæ chartam exploratoriam non mutat, non turbatur neque chlorureto barytico, neque carbonate sodico, neque sulphohydrate ammonico; aqua chlori colorem alienum non induit.

CHLORURETUM ZINCI.

Massa alba, crystallina, deliquescens, liquans circa 104° C., in aqua, alcohole et æthere solubilis.

Solutio aquosa sulpho-hydrate ammonico et ferro-cyanureto potassico præcipitatum album gignat.

CHOCOLATA ANTHELMINTICA.

R. Chocolatæ medicæ	980
Santoninæ	20
	1,000

Secundum artem confice tabellas quarum pondus sit 2 grammatum.

Unaquæque tabella 4 centigrammata santoninæ continet.

CHOCOLATA CARBONATIS FERRI.

R. Chocolatæ medicæ	950
Carbonatis ferri	10
Pulveris vanillæ saccharatæ	40
	1,000

Secundum artem confice tabellas ponderis 1 grammatis.

CHOCOLATA MEDICA.

R. Pastæ cacao insularum	300
Id. caracensis	200
Sacchari	500
	1,000

CICUTINA.

R. Seminum cicutæ recentium contusorum	1,000
Calcis exstinctæ	500
Carbonatis potassici	125
Aquæ	3,000

Seminibus et calci aqua in cucurbita destillatoria aspersis appone carbonatem potassicum, et destilla quamdiu liquor effluens sit alcalinus. Liquidum destillatum acido oxalico soluto exacte satura, solutionemque balneo mariæ evapora ad consistentiam syrupi. Sedimentum in vase vitreo, cum decuplo volumine alcoholis rectificati agita.

Liquorem filtratum balneo mariæ evapora ut expellatur major alcoholis pars. Residuo dein adde parvam aquæ quantitatem, iterumque balneo mariæ calefac donec evaporetur omnis alcohol. Residuum, cum dimidio volumine solutionis concentratæ potassæ causticæ commixtum sepone ad quiescendum, cicutinam supernatantem decantha, eamque in apparatu probe sicco, quem pervadat gas hydrogenium exsiccatum, super chloruretum calcicum rectifica.

Serva in lagenis parum amplis, apprime claudendis et in loco obscuro et frigido collocandis.

Liquor oleosus, incolor, diaphanus, ponderis specifici 0.878, ebulliens calore 212° C., odoris penetrantis et ingrati, saporis caustici, chartam exploratoriam colore cœruleo afficiens, in aqua parum, plus autem in frigida quam in calida solubilis; pro majore quantitate solvitur in alcohole, in æthere, in chloroformio, in corporibus pinguibus, in oleis essentialibus.

In aere celeriter immutatur, colorem fuscum assumit et fit spissior.

Aqua chlori recens in solutione aquosa cicutinæ turbatum album gignit.

CIGARETTÆ ANTI-ASTHMATICÆ.

R.	Foliorum sicc. Belladonnæ	60
	Id. Hyoscyami	30
	Id. Stramonii	30
	Seminum Phellandrii	10
	Extracti Opii.	3
	Aquæ Lauro-cerasi quantum satis.	

Folia a nervis mundata et semina contusa, per horas 12, cum aquæ Lauro-cerasi volumine circiter duplici, macera et ope preli exprime; solve extractum Opii, dein chartam bibulam colatura imbue ac probe sicca ut exinde conficiantur cigarettæ.

CIGARETTÆ BELLADONNÆ.

R. Foliorum belladonnæ siccorum . . Q. V.

Folia incidantur, conficianturquæ cigarettæ continentes 1 gramma belladonæ.

CIGARETTÆ STRAMONII.

Parentur eodem modo quo cigarettæ belladonnæ.

CITRAS FERRI.

R.	Ferri	100
	Acidi chlorhydrici	537
	Chloratis potassici	37
	Ammoniæ circiter	450
	Acidi citrici	125
	Aquæ destillatæ	Q. S.

Ferrum in acido chlorhydrico æquo aquæ volumine diluto solve, solutionique per vices et exiguis modis miscelam agitando chloratem potassicum appone. Vide ne hæc miscela præcipitet ferricyanuretum potassicum et casu quo revera talis præcipitatio adhuc obtineatur, chloratis potassici iterum appone parvam quantitatem.

In liquorem multa aqua dilutum infunde ammoniam excedentem; præcipitatum ablutum exstilla in linteum strictioris texturæ, leniter exprime, deindeque incorpora acidum citricum pulveratum.

Post reactionem temperatura ordinaria, et per sex horas, necnon cum agitatione interdum repetita peractam, adde sensim ammoniam liquidam, usquedum solvatur præcipitatum.

Reactione acta, si necesse erit, liquorem filtra, balneo mariæ evapora usque ad aquæ mulsæ crassitudinem, et cum penicillo mollem distribue massam in patinas, vel laminas vitreas; exsicca leni temperatura. In vase clauso serva.

Particulæ rubro-fuscæ, nullius odoris, modici saporis, in aere immuabiles, in aqua facillime solubiles, in alcohole insolubiles.

Hic sal incineratus circiter dimidiam perdit sui ponderis partem, relictione oxydi ferrici quod, acido chlorhydrico solutum et excedente ammonia præcipitatum, cœruleo colore tinctum non gignit liquorem.

CITRAS MAGNESIÆ.

R.	Acidi citrici	5
	Carbonatis magnesici	3
	Aquæ destillatæ	1

Acido citrico pulverato aquam prius, dein magnesiam per parvas

quantitates appone, massamque in patinas porcellaneas tenuissime extensam leni calore exsicca.

Salem denique pulvera.

Pulvis albus, saporis aciduli, in aqua solubilis, in aere humido humescens.

Solutio ejus aquosa acido sulpho-hydrico non coloratur. Incineratione residuum relinquit album, quod, aqua si diluatur, chartam exploratoriam rubram non afficit colore cœruleo.

CITRAS SODÆ.

R.	Acidi citrici pulverati	20
	Bi-carbonatis sodici purificati . . .	24

Misce, secundum artem in granula redige et leni calore sicca.

Pulvis granulosus, albus, spongiosus, saporis salinarii aciduli, in aqua cum effervescentia solubilis.

Solutio aquosa acido sulpho-hydrico non coloratur.

Incineratus, relinquit iste sal residuum album in aqua solubile, chartam exploratoriam rubram colore cœruleo vehementer tingens.

COCCIONELLA.

Hoc insectum striis transversis notatum, rubro-nigrum, pulvere sub albido inspersum, situm redolet.

In pulverem tritum, fusco-rubrum colorem induit. Saporis est acris, amari et styptici.

Cum aqua si conteratur, non appareant vestigia metallica.

COERULEUM BEROLINENSE.

Sit leve, intense cœruleum, fracturæ coloris cuprini non splendentis, odoris et saporis nullius, nec aqua, nec alcohole solubile. Affusa aqua bulliente ne fiat mucilaginosum; eo præstantius est quo minorem aluminæ partem contineat.

CODEINA.

Crystalli aciculares aut octaedricæ orthorhombicæ, coloris expertes. In lamina platini caute calefactæ liquescunt, carbonescunt et comburuntur sine residuo. In octoginta aquæ partibus solvuntur, liquori saporem amarum et reactionem alcalinam impertientes. Facile solvuntur in alcohole rectificato, æthere, chloroformio et acidis dilutis.

Solutio salium codeinæ soda præcipitatur, colorem rubrum non induit addito acido nitrico, nec cœruleum addito chlorureto ferrico. Acidum iodicum non reducit.

Codeina caute cum acido sulphurico concentrato commixta non coloratur bichromate potassico.

Caute servetur.

COFFEINA.

Crystalli sericeæ, albæ, odoris expertes, in aere immutabiles, saporis subamari, in aqua, in alcohole, in æthere et in chloroformio solubiles.

Lente calefactæ liquescunt, deinde sine residuo avolant.

Acido sulphurico et nitrico absque calore solvuntur sine coloratione.

Coffeinum balneo mariæ cum aqua chlori calefactum, residuum relinquit purpureum; hoc vero residuum actione caloris protracta flavescit; purpureum autem resumit colorem actione ammoniæ.

Si parietes humidos capsulæ porcellaneæ coffeino operueris, ac deinde, post exsiccationem, in eadem capsula unam vel alteram acidi azotici concentrati guttam evaporaveris, partes coffeino coopertæ per ammoniam colorem rubro-purpureum assumunt.

COLD-CREAM.

R. Olei amygdalarum dulcium. . . .	566
Cetacei	158
Ceræ albæ	78
Aquæ rosarum	158
Tincturæ benzoes	40
Essentiæ rosarum	0.80

Ceram et cetaceum liquefac in oleo balneo mariæ calefacto; dein infunde in mortarium marmoreum vel porcellaneum pariter calefactum, et tere usquedum refrigerentur.

Appone essentiam rosarum, ac tandem per parvas partes miscelam aquæ et tincturæ prius per linteum colatam immisce.

COLLODIUM.

R.	Pyroxyli	40
	Alcoholis 92°.	100
	Ætheris	800
	Olei ricini	60
		1,000

Solve et in vase bene clauso serva.

COLLODIUM CANTHARIDALE.

R.	Cantharidum grosse pulveratarum . .	500
	Ætheris	750-875

Macera per triduum, exprime et filtra.
Colatura sit ponderis 500.
Tunc sume.

Hujus soluti	500
Alcoholis 92°.	50
Pyroxyli	18

Solve et vase probe clauso serva.

COLOPHONIUM.

Residuum destillationis terebinthinæ variarum pini specierum.

Resina flava aut flavo-fusca, diaphana, fragilis, odoris et saporis parum penetrantis, temperatura 80° emollienda, calore 135° liquescens; in alcohole, in æthere, in corporibus pinguibus et in essentiis solubilis.

CONSERVA CASSIÆ.

R.	Extracti cassiæ	500
	Sacchari pulverati	328
	Aquæ	172
		1,000

Misce, saccharo prius in aqua balneo vaporis soluto.

CONSERVA ROSARUM.

R.	Pulveris petalorum rosarum rubrarum. .	100
	Sacchari pulverati	650
	Aquæ rosarum	250
		1,000

Misce.

CONSERVA TAMARINDORUM.

R. Tamarindi venalis . . . . Q. V.

Digere balneo Mariæ in vase porcellaneo vel figulino, cum aquæ pari pondere, donec satis emollitus fuerit; dein massam tere per cribrum setaceum ut separentur grana et stamina.

R.	Hujus massæ semiliquidæ quantum sufficit ut insint pulpæ solidæ	500
	Adde sacchari pulverati	200

Misce et evapora balneo Mariæ ut obtineantur conservæ partes 1,000.

CORNU CERVI.

Cervi ramus universe cognoscitur. Pulvis cervini cornu griseus sit. Siccatus temperatura 100° et fervefactus unam per horam in aqua destillata, residuum relinquit insolubile balneo vaporis, tantum offert 88 seu 89 p. c. primi ponderis.

CORTEX ANGUSTURÆ.

Cortex in frustis planiusculis aut convexis, 1 ad 3 millimetra crassis, 5 ad 12 centim. longis, 1 ad 3 centim. latis, strato griseo-subalbido opertis rugis minutis aspero, superficie interna e flavo fusca, lævi, fractura splendente et resinosa, nunquam fibrosa, odoris aromatici, subnauseosi, saporis leviter acris et peramari.

Infusum corticis aut decoctum quiete clarefactum, affuso sulphate ferroso soluto, sedimentum albo-subflavum præbet.

Ne substituatur angustura falsa, cortex venenosus strychni nucis vomicæ.

Ille cortex interne subniger est, externe griseo-subflavus, verrucis albis et præcipue maculis rubiginosis notatus.

Fractura istius venenosi corticis est cinereo-alba, sapor nauseosus et amarissimus. Ejus infusum, solutione sulphatis ferrosi instillata, ab initio colore virescente tingitur, dein sedimentum nigrum demittit. Gutta acidi nitrici, faciei internæ corticis spurii apposita, maculam rubram, brucinæ indicium, producit.

CORTEX AURANTIORUM.

Cortices aurantiorum maturorum venales in segmentis prostant duris, ovato-oblongis, acutis, strato aspero et aurantiaco-bruneo opertis, parenchymate interno albo et pumicoso. Cortices aurantiorum Curassaviences sunt anteponendi.

Pro usu pharmaceutico, alba parte denudentur.

CORTEX CASCARILLÆ.

Cortex hic prostat in segmentis convolutis, 4 ad 6 centim. longis, 2 millim. circiter crassis, compactis, duris, ponderosis, fractura resinosa, colore rubiginis feri, strato cinereo rugoso haud raro lichenibus variis maculato, vestitis, saporis amari, aromatici, leviter acris, odoris valde debilis, sub contusione aut accensione fragrantioris, aromatici, submoschati.

CORTEX CHINÆ FLAVÆ REGIÆ.

Cortex chinæ flavæ regiæ prostat in frustis planiusculis aut convexis, 4 ad 9 millim. crassis, peridermide sua luteo-fusca, valde rugosa et lichenibus obsita ut plurimum destitutis. Illius fragmenta peridermide tecta multis fissuris transversalibus notantur.

Hujus chinæ color est rufus, colori cinnamomi similis, sapor amarissimus et paulo stypticus; fracta leviter fibrata est et sæpe duo strata ostendit : stratum externum tenue, coloris castaneæ, internum vero crassius, coloris cinnamomi ad rubrum vertentis.

Infusum aquosum fortius chinæ regiæ dat cum sulphate sodæ, præcipitatum sulphatis calcici, quod non evenit cum china grisea.

Non confundatur china flava regia cum china flava fibrosa, cujus textura fibrosissima est, color pallidior et uno modo flavescens in toto corticis crassitudine. Semper desunt fissuræ transversales et illius sapor minus. Quod idem fit cum china flava dura seu de Carthagena, præcedenti affini et non amplius chinæ flavæ tenere locum valenti.

Interdum in commercio obvia est china regia de qua extracta fuit pars chinini maceratione fragmentorum in aqua acidulata, et cui addita fuit china bonæ notæ pulverata, fraudem dissimulandi causa. Fraus facile denudabitur cum panno cortices fricando ut ablatus sit pulvis illos operiens. Tunc dignoscitur cortices fusci austeri coloris esse, saporis paululum amari et leviter salsi.

Corticum decoctum inops est, vix refrigeratione turbatur et tribuit præcipitatum debilissimum cum solutionibus alcalinis et tinctura gallæ. China lota ceterum acidi retinet partem in maceratione adhibiti et acidum sine labore reperitur in decocto filtrato, reactivis auxiliantibus.

China præbet 3.5 — 4 p. c. sulphatis quinici.

CORTEX CHINÆ FUSCÆ.

China fusca bonæ notæ in frustis adfertur tubulosis, plus minusve convolutis, minimum digitum circiter crassis, 6 ad 9 centim. longis. China illa dura est ponderosa, fusco-fulva, aspera epidermide induta

cum sulcis longitudinalibus profundis et rimis transversis, lichenibus subalbidis vel cinereis plerumque conspersa.

Varietates dictæ « china Huanuco » et « china Loxa » præsertim sollicitantur. Seligendi sunt cortices tenues, convolutissimi, duri, ponderosi, asperi et extus fusci, facie interna cinnamomi coloris, fractura sincera et præbentes sub epidermide annulum nigricantem resinosum. Chinæ fuscæ odor est modice aromaticus, sapor amarus et stypticus.

Rejiciantur cortices rimis transversis non notati, extus nigri vel rutilantes, facie interna albidi, et quorum sapor est adstringentissimus, injucundus vel parum perceptus.

China fusca bonæ notæ continet 1.2 — 3.6 vel generatim 2.7 p. c. cinchoninæ.

CORTEX CHINÆ RUBRÆ.

Cortex ille cortici chinæ regiæ similis est nec nisi colore manifeste rubro strati interioris præsertim diversus. Ejus vulgo obvia sunt fragmenta crassiora, majora, ponderosiora, minus convexa. Illorum textura fibrosa est, et tria strata offert discriminata.

Stratum externum, seu epidermis, tenue, fissum, rugosum, ex rubro fuscum, vel e lichenibus, quibus obducitur, griseum; alterum (sive cortex proprius) fragile et resinosum, coloris obscure rubri; tertium lignosum, fibrosum, et coloris minus saturati quam in præcedentibus.

Hujus chinæ pulvis est coloris rubri plus minus acris, odoris paululum aromatici. Decoctum ejus, rubens e nigro et limpidum calore, fit refrigeratione turbidissimum cum aurantio rubore.

Cavendum est ab admixtis frustis artifice rubore tinctis. Hæc colore plus minus claro, ruboris defectu in fractura, ac indole infusi aquosi variante, dignoscuntur.

China rubra tam externe quam interne rubido-fusca, in segmentis crassioribus occurrens, sapore amarissimo adstringente haud ingrato, optima est.

Illa china frigore non colorat æther; idem non advenit cum china adulterata præsertim admixtione santalis rubri pulverati.

Continet 3 — 3.5 p. c. quininæ et cinchoninæ.

CORTEX CINNAMOMI.

Epidermide exutus, hic cortex apparet tenuis sicut charta, leviter flexilis, e fibris contextus fractura conspicuis, colore clare fulvo, odore suavissimo, sapore primum subdulci, dein aromatico et calido. In fragmentis adfertur tubulatis, invicem insertis et ita adsimilibus foliis chartæ convolutis.

Cinnamomum Ceylanicum a pharmacopola semper dispensandum, nisi a medico expressis verbis postuletur cortex Cinnamomi sinensis qui a primo cortice facile distinguitur crassitie majori, acriori sapore et textura multo minus fibrata.

CORTEX CITRI.

Cortices citri adferuntur fragmentis oblongis, ovalibus, unaquaque acutis extremitate, quartam tegminis fructus partam sistentibus.

Illius corticis color est flavus plus minus subniger, sapor calidus et paululum amarus.

CORTEX GRANATI.

Cortex ille, e radice granati feri colligendus, in frustis occurrit majoribus minoribusve, canaliculatis, flexuosis, fragilibus, 1 ad 2 millim. crassis, asperis, extus griseo-luteis, intus e viridi pallide flavis, odoris debilis, injucundi, saporis leviter amari.

Superficiei internæ ut plurimum fragmenta ligni pallide lutescentis adhærent, excidenda sunt.

CORTEX MEZEREI.

Cortex in segmentis seu fasciis longis et tenuibus divisus adfertur. Sub strato glabro, subnigre rubro, videtur substantia corticalis ex albo flavicans, fibrillis tenuibus et solidissimis contexta, odoris nullius, saporis acerrimi, urentis.

CORTEX MONESIÆ.

Cortex in frustis manum circiter latis, planis, 3 ad 5 millim. crassis, fusco-fulvis, densis, epidermidis expertibus, duris, fragilibus, odoris nullius, saporis adstringentis, amari et simul prædulcis.

CORTEX QUERCUS.

Cortex circiter 2 millim. crassus, strato nitido tenui et grisescente coopertus; extus fragilis, interne autem fibrosus, tenax et fuscus; saporis adstringentis et amari.

COUSSO.

Soli flores adhibeantur. Sunt coloris luteo-cinerei seu subrubri, odoris debilis, saporis primum debilis, dein subamari; tactu subpingues videntur.

Seligantur integri et in loco sicco serventur.

CRETA.

Substantia alba, in massis tenerrimis, aut in pulvere forma et odore carente, saporis terrosi, in aqua et alcohole insolubili, fere ex toto, et quidem cum effervescentia in acido chlorhydrico diluto solubili. Acidum sulpho-hydricum in hac solutione nullum gignit præcipitatum.

CRETA PRÆPARATA.

R. Cretæ rite albæ . . . . Q. V.

Opera sicut dictum fuit in articulo: « Bolus Armeniæ præparatus. »

CROCUS.

Croci sativi stigmata stylo non separata adhibentur.

Sunt fila 2 ad 3 centim. longa, tripartita, versus basin attenuata, apice dilatata, coloris saturate aurantiaci in basi flavescentis, odoris gravis, fragrantis proprii, saporis balsamici, leviter amari et acris, principio tinctorio intense flavo, in spiritu vini et in aqua æque solubili, ditissima.

Carthami tinctorii flosculi, Croco intermixti, colore flavo pallidiore per tetam longitudinem æquali et apice quinquefido discernuntur.

Serva in vitris probe clausis et luci subtractis.

CYANURETUM HYDRARGYRI.

R.	Cœrulei Berolinensis puri	2
	Aquæ destillatæ	10
	Oxydi hydrargyri	1

Berolinense cœruleum et oxydum hydrargyri prius subtilissime pulverata in vase vitreo sat amplo aquæ immisce et coque interdum agitans. Si post ebullitionem per horæ quadrantem protractam liquor adhuc cœruleus est, parvam sensim oxyidi hydrargyri copiam adde, donec fervidi liquoris color vel fuscus, vel fulvus sit.

Tunc liquorem calidissimum in colum effunde et refrigeratione crystallisationem expecta patienter.

Residuum denuo cum eadem aquæ copia destillatæ incoque et iterum liquidum filtra calidissimum; adde liquidum filtratum aquæ supernatanti ex primis crystallis formatis collectæ et miscelam adhuc evapora ut crystallisetur. Si crystalli collectæ albissimæ non sunt, novæ crystallisationi submittantur purificationis causa.

Cyanureti hydrargiri cristalli sunt prismaticæ, quadrangulares, surdo-albæ, modo pellucidæ, modo autem opacæ, in aquæ octo partibus tepidæ solubiles, insolubiles vero in alcohole absoluto.

In aere calefactus, sine residuo decomponitur.

Solutio aquosa nitrate argentico non turbatur.

CYANURETUM POTASSII.

R.	Ferro-cyanureti potassii pulverati	10
	Acidi sulphurici	5
	Aquæ destillatæ	7

Misce aquam et acidum sulphuricum, mixturam deinde refrigeratam immitte super ferro-cyanuretum potassicum in retorta inclusum brevi munita tubo fundo excipuli vitrei aptato; istud excipulum aqua frigida circumdatur et continet pellucidam solutionem confectam ex

Alcoholis 98°.	10
Potassæ causticæ fusæ	4

Igni lento ac leni submitte retortam pro destillatione acidi cyanhy-

drici, quod affluere debet satis copiose ad solutionem alcoholicam ut potassa fiat cyanuretum.

Destillatione acidi cyanhydrici peracta et liquore alcoholico eodem acido supersaturato, quiescat aliquantisper liquor in loco frigido; crystallinum sedimen deinde in colum projice, in linteo exprime, sicca rapide super laminam ferri igni expositam et statim in ampullam infunde quam diligenti cura occludes.

Hæc substantia alba, deliquescens, in tubo vitreo igni ardenti exposita ne nigrescat. Solutio aquosa incolor est; odorem acidi cyanhydrici spargit, cum acidis effervescentiam non gignit et nigrum præcipitatum non edit cum salibus plumbicis solubilibus.

Modus cyanureti potassici obtinetur solvendo 1 gramma in 100 cc. aquæ destillatæ, dein in 10 cc. hujus solutionis infunditur guttatim solutio normalis decima nitratis argentici usquedum præcipitatum solvi cesset et appareat levis turbatio.

Numerus centimetrorum cubicorum solutionis argenticæ per 0.013022 multiplicatus indicat pondus cyanureti in composito examinato comprehensum.

Cyanuretum officinale saltem 7.6 cc. solutionis argenticæ exigat.

DECOCTA.

1. Medicamenta in præparatione decoctorum adhibenda convenienter sint divisa.

2. Vasa, in quibus decocta parantur, sint e stanno vel cupro probe stannato confecta, vel, si acida aut alcalina decoctis insunt, porcellanea aut vitrea.

3. Fiat coctio in vase clauso, igne leni, non interrupto, et, ni aliter præscriptum sit, per horæ quadrantem pro floribus, herbis aut radicibus plus minusve mucilaginosis, per semihoram pro corticibus, lignis ac radicibus durioribus.

4. Peracta coctione, liquor fervidus premendo coletur et quam citissime refrigeretur, excepto casu quo medicamina quædam decocto infundenda sunt.

5. Si medicaminum dosis non notatur, sumat in universum Pharmacopola, pro colatura partium 1,000, florum aut foliorum partes 30, radicum, lignorum seu corticum partes 60. — Si

decoctum *concentratum* edictum est, paretur cum duplici medicaminum dosi, et cum quadrupla, si *concentratissimum*. Notandum præcepta hæc non valere pro medicaminibus narcoticis aut heroïcis, quorum dosis sedulo enuncianda est a Medico.

DECOCTUM ALBUM SYDENHAMI.

R.	Cornu Cervi	40
	Micæ panis albi	40
	Sacchari	30
	Aquæ fontanæ.	1,500 s. Q. S.

Coque simul panem et cornu Cervi per semihoram, cola et adde saccharum ut sint decocti partes 1,000.

DECOCTUM CARAGAHEEN.

R.	Caragaheen	20
	Aquæ fontanæ.	1,500 s. Q. S.

Caragaheen aqua frigida ablutum per horam dimidiam coque ut fiat decoctum partium 1,000.

DECOCTUM CHINÆ.

R.	Chinæ fuscæ	100
	Aquæ	Q. S.

Macera per horam, coque per quadrantem horæ, tunc cola cum expressione. Sint decocti partes 1,000.

Eadem ratione parentur :

Decocta Chinæ flavæ et rubræ.

DECOCTUM FELTZ.

R.	Radicis sarsaparillæ	65
	Ichthyocollæ	10
	Sulphureti stibii sacculo linteo inclusi .	80
	Aquæ	Q. S.

ut, post ebullitionem per horam, sit colatura partium 1,000.

DECOCTUM GRANATI.

R. Corticis radicis granati 250
Aquæ destillatæ . . . . 1,500 s. Q. S.

Macera per sex horas, tum coque per horam dimidiam ut sit colatura partium 1,000.

DECOCTUM LICHENIS ISLANDICI.

R. Lichenis Islandici. 40
Aquæ. . . . . S. Q.

Coque per semihoram et cola cum expressione ut sint decocti partes 1,000.

DECOCTUM LICHENIS ISLANDICI ABLUTI.

R. Lichenis Islandici. 40
Aquæ . . . . Q. S.

Lichen cum aquæ viginti partibus ad ebullitionem usque calefiat; dein, aqua rejecta, abluatur donec amaritiem exuerit. Residuum cum aqua sufficiente per semihoram coque ut sit colatura partium 1,000.

DECOCTUM LINI.

R. Seminum lini 16
Aquæ . . . . Q. S.

Coque per dimidiam horam ut sit colatura partium 1,000.

DECOCTUM SARSAPARILLÆ.

R. Radicis sarsaparillæ 100
Aquæ . . . . 2,000 s. Q. S.

Macera per horas duodecim, tunc coque per horam. Sit colatura partium 1,000.

DECOCTUM SUDORIFICUM.

R.	Ligni guajaci	50
	Radicis sarsaparillæ	50
	Id. liquiritiæ.	10
	Ligni sassafras	10
	Aquæ	2,000 s. Q. S.

Sarsaparilla maceretur per duodecim horas; tunc ebulliat cum guajaco per horam, sub finem adde sassafras et liquiritiam ut per horæ quadrantem infundantur. Sit post subsidentiam colatura partium 1,000.

DECOCTUM TAMARINDORUM.

R.	Pulpæ tamarindorum.	50
	Aquæ	Q. S.

Coque per horæ quadrantem ut sit colatura partium 1,000.

DECOCTUM ZITTMANNI FORTIUS.

R.	Radicis sarsaparillæ	375 gramm.
	Aquæ.	27 litra.

Digere per horas 24; tum, additis

Aluminis	24 gramm.
Sacchari	24 »
Calomelaos	16 gramm.
Sulphureti hydrargyrici rubri .	4 »

sacculo linteo, in macerato sarsaparillæ appenso, inclusis, coque ad remanentiam litrorum novem, sub finem coctionis admiscendo

Foliorum sennæ	4 gramm.
Radicis liquiritiæ.	47 »
Fructus anisi	16 »
— fœniculi	16 »

Exprime, colaturaque a sedimento defusa sit litrorum sex.

DECOCTUM ZITTMANNI MITIUS.

R. Residuum decocti fortis,
Radicis sarsaparillæ. . . . . 188 gramm.

Immixta coque in aquæ litris 27, ad remanentiam litrorum novem, sub finem coctionis addendo

Corticum citri	12	gramm.
Corticis cinnamomi	12	»
Fructus cardamomi minoris. .	12	»
Radicis liquiritiæ.	12	»

Exprime et colatura a sedimento defusa sit litrorum sex.

DEPILATORIUM MARTINS.

R. Sulpho-hydratis calcici . . . . . Q. V.
Chinaclay . . . . Q. S.

ut efficiatur pasta mollis.

Præparetur ex tempore, et exhibeatur in lagenis probe clausis inclusa.

DIASCORDIUM.

R. Pulveris catechu	112
Id. kino	83
Id. corticis cinnamomi	27
Id. nucis moschatæ	27
Id. opii	5
Syrupi rosarum rubrarum	746
	1,000

Pulveres misce et adde syrupum ut fiat lege artis electuarium.

DIGITALINA.

R. Foliorum digitalis pulveratorum.	1,000	gramm.
Sub-acetatis plumbici liquidi .	270	»
Carbonatis sodici	40	»
Phosphatis sodico-ammonici . .	20	»
Acidi tannici	40	»
Lithargyri	25	»
Carbonis animalis.	50	»
Alcoholis rectificati, aquæ, chloroformii.	Q. S.	

Pulverem digitalis cum aquæ litro uno ac dimidio commixtum per semihoram macera, quo facto, mixtura in apparatum lixiviatorium infundatur. Affundatur deinde paulatim ac per partes exiguas tantum aquæ, ut exhibeantur tria liquoris litra, pondus autem specificum hujus liquoris sit saltem 1,050. — Solutioni apponatur sub-acetas plumbicus, ac præcipitatum inde exortum filtro sejungatur. Huic liquori filtrato immisceantur vicissim carbonas sodicus et phosphas sodico-ammonicus in aquæ quam minima fieri potest quantitate soluti. Liquor denuo filtratus solutione acidi tannici præcipitetur. — Præcipitatum in filtro collectum cum lithargyro et carbone animali commisceatur. Miscela leni calore siccata alcohole rectificato exhauriatur, quo facto, solutio balneo mariæ ad siccitatem evaporetur. Dein sedimentum aqua distillata exhaustum, iterum in alcoholem rectificatum infundatur : tunc denique, expulso iterum alcohole, residuum chloroformio exhauriatur solutioque leni calore evaporetur.

Caute serva.

Digitalina massam exhibet resinosam, seu pulverem leviter coloratum, odoris proprii, peramarum, in aqua, quam reddit amaram, fere insolubilem, in alcohole æque ac in chloroformio solubilem, charta exploratoria immutabilem.

Calore 90° mollescit, 100° liquescit, et in aere sine residuo ardet.

Acido chlorhydrico contingente colorem induit viridem smaragdinum.

DULCAMARA.

Stipites subangulosi, pennam anserinam et ultra crassi, glabri, lignosi. Juniorum cortex externe et interne viridis, adultorum et majorum coloris fusci hebetis vel e fusco viridis, rugosus et hiscens. Sapor primo subamarus, dein dulcis, odor ingratus, virosus. Colligendi stipites sunt baccis maturatis, et post foliorum lapsum.

ELÆOSACCHARA.

Mixturæ quas obtinebis triturando :

Olei volatilis	2
Sacchari	98
	100

Paretur ex tempore

ELECTUARIUM LENITIVUM.

R.	Foliorum sennæ contusorum	122
	Radicum liquiritiæ concisarum . . .	45
	Aquæ destillatæ	800

Post macerationem per duas horas, balneo mariæ calefac per unam horam. Exprime fortiter, dein colaturæ addantur.

Sacchari.	452

et evapora balneo aquæ ut remaneant tantum syrupi partes 612.

Cola et adde :

Foliorum sennæ pulveratorum . . .	62
Fructuum coriandri pulveratorum . .	47
Conservæ cassiæ	93
Id. prunorum	93
Id. tamarindorum	93
Syrupi prius obtenti	612
	1,000

Misce.

ELECTUARIUM TAMARINDORUM.

R.	Conservæ cassiæ	210
	Id. tamarindorum	210
	Foliorum sennæ pulveratorum . . .	80
	Bi-tartratis potassæ pulverati.	20
	Mannæ	400
	Aquæ	80
		1,000

Mannam cum aqua contunde, tunc omnia misce et calefac balneo vaporis ut fiat lege artis electuarium.

ELECTUARIUM THERIACALE.

R.	Pulveris aromatici	267
	Radicis serpentariæ pulveratæ . . .	135
	Extracti opii	20
	Vini Malacitani.	45
	Mellis depurati.	533
		1,000

Opium vino solutum melli addatur, dein admisceantur cætera, et balneo vaporis paulisper calefac, ut fiat massa homogenea.

ELEMI.

Affertur in glebis variæ magnitudinis, plerumque foliis palmæ involutis, ex albo flavis, punctis vel maculis virescentibus intermixtis, aliis opacis, aliis subdiaphanis, splendoris resinoso-vitrei, in frigore fragilibus, calore manuum emolliendis, odoris subfœniculacei, saporis balsamici, amaricantis.

Elemi in alcohole frigido partim tantum sed calore admoto plane solvitur; distinguendum est a resina pini maritimæ, magis flava, odoris ingrati terebinthinacei, et in alcohole frigido solubili.

ELIXIRIUM ACIDUM HALLERI.

R.	Alcoholis	3
	Acidi sulphurici	1

Guttatim, inter continuam agitationem, acidum alcoholi apponatur. Servetur in vase apprime clauso.

Liquidum limpidum, decolor vel leviter flavescens, peracidum, odoris expers.

Pondus specificum 0.998 — 1.002.

ELIXIRIUM COCA.

R.	Foliorum coca in pulverem semi-tenuem redactorum	100.
	Alcoholis 60°	600
	Syrupi simplicis	400
		1,000

Folia per triduum in alcohole macera; exprime; liquori appone syrupum simplicem, misce et filtra.

ELIXIRIUM GARI.

R.	Spiritus pro elixirio Gari	400
	Syrupi capillorum Veneris	500
	Aquæ florum aurantiorum	100
		1,000

Misce.

ELIXIRIUM PAREGORICUM.

R.	Opii	5
	Acidi benzoici	5
	Camphoræ	3.5
	Olei anisi	2.5
	Alcoholis 80°	1,000

Opium in alcohole dilue, ceterisque substantiis appositis, macera per triduum et filtra.

10 grammata hujus præparationis principia solubilia 5 centigrammatum opii continent.

ELIXIRIUM STOUGHTON.

R.	Herbæ absinthii contusæ	24
	Corticum aurantiorum incisorum. . .	24
	Herbæ scordii contusæ.	24
	Radicis gentianæ grosse pulveratæ . .	24
	Radicis rhei grosse pulveratæ . . .	16
	Corticum cascarillæ grosse pulveratorum.	4
	Aloës pariter pulverati.	4
	Alcoholis 50°	1,000

Post macerationem 3 dierum exprime et filtra.

EMPLASTRA.

1. Corpora pinguia quibus conficiuntur emplastra, in vase figulino aut cupreo stannato, generatim balneo vaporis liquentur, et cum cæteris substantiis prius, si sint solidæ, rite divisis misceantur.


2. Emplastra inter refrigerandum strenue agitata et prope frigida supra lapidem marmoreum in cylindros fingi debent charta involvendos. Quædam, dum adhuc calore liquida, in vasa figulina immittere licet; quæ si volatilia continent vesica claudantur.

3. Emplastra sint homogenea et calore leni mollescant. Supra linteum aut pellem expansa cutique admota, mollia maneant et huic facile adhæreant, nec tamen liquescant.

4. Fere nunquam accurate indicatur mensura emplastrorum. Refertur enim ad rem quamdam formæ et magnitudinis plus minusve notæ, vel indicatur corporis parte cui emplastrum adplican-

dum est. Ita quandoque mandata medici falluntur, quia nulla datur certa exsequendi norma. Ad vitanda quæ exinde oriuntur incommoda, pharmacopola adæquabit :

Dimidiam schedam	rectangulo	longit.	30	latitud.	19	centim.
Schedæ quadrantem		id.	19	id.	15	id.
Chartam lusoriam		id.	9	id.	6	id.
Palmam manus		id.	8	id.	8	id.
Id. majorem		id.	9	id.	9	id.
Id. minorem		id.	7	id.	7	id.



Habebit emplastrum adplicandum :

Lateri	longitud.	19	latitud.	15	centim.
Brachio	id.	5	id.	4	id.
Cervici	id.	6	id.	5	id.
Temporibus	id.	3	id.	2	id.
Suris	id.	10	id.	7	id.

Alias divisiones medicus centimetris exprimat necesse est, aut numero indicet, secundum tabulum obversam, emplastrum ovatum aut rotundum. Margo numeris præscriptis non annumeratur. Notandum est numerum, pro emplastro rotundo, mensuram diametri, et, pro emplastro ovato amplitudinem diametri minoris centimetris exprimere, uti figura sequens indicat.

EMPLASTRUM ADHÆSIVUM.

R. Cerae albæ	30
Colophonii	60
Terebinthinæ coctæ	60
Emplastri lithargyri	850
	1,000

EMPLASTRUM ADHÆSIVUM FUSCUM.

R. Minii	336
Olei olivarum	410
Colophonii.	52
Sebi ovilli	52
Ceræ flavæ	38
Terebinthinæ Venetæ.	112
	1,000

Minium calefac cum oleo et sebo donec miscela colorem subfuscum induat et emplastri ductilis consistentiam acquirat; tum ab igne remove et adde ceram, colophonium ac demum terebinthinam, leniter agitando donec massa refrixerit.

EMPLASTRUM AMMONIACI.

R.	Gummi ammoniaci pulverati. . . .	400
	Colophonii.	200
	Terebinthinæ	200
	Ceræ flavæ.	200
		1,000

Liquentur balneo vaporis et infunde in vas lapideum seu figulinum.

EMPLASTRUM AROMATICUM.

R.	Ceræ flavæ.	334
	Sebi ovilli	250
	Terebinthinæ	83
	Pulveris olibani	166
	Id. benzoes	83
	Olei nucis moschatæ.	64
	Essentiæ caryophyllorum	10
	Id. menthæ piperitæ	10
		1,000

Liquentur balneo vaporis cera, sebum ac terebinthina, dein ab igne remotis et inter lentam agitationem fere concretis immisceantur aliæ substantiæ, jamjam accurate commixtæ. Serva in vase lapideo seu figulino.

EMPLASTRUM BELLADONÆ.

R.	Emplastri picis Burgundicæ. . . .	825
	Extracti belladonæ	125
	Olei olivarum.	50
		1,000

Emplastro et oleo balneo mariæ calefactis extractum tunc appone cum jam massa indurari incipiat.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM.

R.	Ceræ flavæ	240
	Colophonii	240
	Terebinthinæ	90
	Olei olivarum	40
	Balsami Peruviani	30
	Cantharidum pulveratarum	360
		1,000

Ceram, colophonium, terebinthinam oleumque balneo mariæ calefac; mixturæ liquefactæ apponantur cantharides, quo facto adhuc calefiat per horæ quadrantem. Tandem massæ semirefrigeratæ infundatur balsamum Peruvianum.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM CAMPHORATUM.

R.	Emplastri cantharidum	960
	Camphoræ pulveratæ	40
		1,000

Misce ex tempore.

EMPLASTRUM CANTHARIDUM PERPETUUM

R.	Mastichis pulverati	387
	Pulveris subtilis cantharidum	129
	Euphorbii	64
	Terebinthinæ	387
	Axungiæ	33
		1,000

Fiat lege artis emplastrum et extende in sparadrapiis.

Sit e viridi fuscum, fragile, punctis nitentibus sparsum cantharides indicantibus.

EMPLASTRUM CICUTÆ.

R.	Emplastri picis Burgundicæ	825
	Extracti cicutæ	125
	Olei olivarum	50
		1,000

EMPLASTRUM DIACHYLON GUMMOSUM.

R.	Emplastri lithargyri	716
	Ceræ flavæ	71
	Gummi ammoniaci pulverati. . . .	71
	Galbani	71
	Terebinthinæ	71
		1,000

Emplastro et cera balneo vaporis liquefactis, lebetem ab igne remove, ope spathulæ lente agita, posteaque massæ ad mellis consistentiam inspissatæ gummi resinas, prius cum terebinthina balneo vaporis liquatas, exacte admisce.

EMPLASTRUM FUSCUM.

R.	Emplastri lithargyri	414
	Axungiæ	138
	Butyri insulsi	138
	Sebi ovilli	138
	Ceræ flavæ	138
	Picis nigræ	34
		1,000

Quatuor priores substantiæ in aheno calefiant donec massa colorem fuscum induerit; adde ceram, ahenum ab igne remove, et ubi massa refrigescere cœperit, injice picem; dein emplastrum in vas porcellaneum effunde, lente agitans usque ad concretionem ad dedrantem partem, vel ad consistentiam mollem.

EMPLASTRUM HYDRARGYRI.

R.	Emplastri lithargyri	572
	Ceræ flavæ	143
	Terebinthinæ	95
	Hydrargyri	190
		1,000

Hydrargyrum cum terebinthina tere in lebete ferreo; simul ac divisum omnino erit hydrargyrum, liquefiant balneo vaporis in altero lebete emplastrum et cera; tum in miscelam liquatam paululum refrigeratam hydrargyrum terebinthina extinctum sensim affunde, diligenter ope spathulæ agitans usque ad refrigerationem.

Sit cinereum, absque ullo globulo hydrargyri conspicuo.

EMPLASTRUM LITHARGYRI.

R.	Lithargyri subtilissime pulverati . .	1,000
	Olei olivarum	1,000
	Axungiæ	1,000
	Aquæ	500

Lithargyrum, oleum et axungiam in amplo aheno misce, adde aquam et coque igne leni, spathula lignea semper agitans, aquæ calidæ pauxillum subinde instillando, donec confundantur corpora pinguia et lithargyrum. Massa coloris albi, aqua frigida indurata, digitis pinsatione non amplius adhæreat præbeatque consistentiam convenientem.

Si consistentia deficiat igni iterum subjiciatur.

Tum ab igne remotum vas aqua frigida sensim ad dedrantem partem impleatur, massa leniter agitata; aqua dein decanthata, emplastrum rursus igni imponatur ut fusura per aliquod tempus producta ab aqua plane liberum fiat.

EMPLASTRUM MELILOTI.

R.	Emplastri picis Burgundicæ . . .	850
	Pulveris meliloti	100
	Olei olivarum	50
		1,000

Emplastrum cum oleo liquefiat balneo mariæ, deinde, vase ab igne remoto, apponatur pulvis meliloti.

EMPLASTRUM OPII.

R.	Terebinthinæ	250
	Elemi	100
	Balsami Peruviani	50
	Pulveris mastichis	200
	Id. olibani	200
	Id. benzoes	150
	Id. opii	50
		1,000

Liquefiant vaporis balneo elemi et terebinthina; ab igne remotis commisceatur primo balsamum, postea pulveres simul antea triti. Servetur in vase clauso.

EMPLASTRUM OXYCROCEUM.

R.	Pulveris croci	46
	Pulveris gummi ammoniaci	63
	Galbani	63
	Pulveris mastichis	63
	Id. myrrhæ	63
	Id. olibani	63
	Terebinthinæ	64
	Ceræ flavæ	193
	Colophonii	382
		1,000

Calefiant, una parte, gummi ammoniacum et galbanum cum terebinthina, addito croco; liquefiant ex altera parte, colophonium et cera; huicce mixturæ ab igne remotæ et refrigescere inchoanti adde resinas liquatas, dein pulveres, antea simul rite tritos.

Sit emplastrum e flavo fuscum et odoris crocei.

EMPLASTRUM PICIS BURGUNDICÆ.

R.	Picis Burgundicæ	750
	Ceræ flavæ	250
		1,000

Leni calore liquescant et per linteum colentur.

EMPLASTRUM SAPONIS.

R. Emplastri lithargyri	800
Ceræ flavæ	134
Saponis albi pulverati aut rasi	66
	1,000

Cera et emplastro ope balnei vaporis liquatis saponem admisce; lente ope spathulæ ligneæ agita donec massa fiat rite homogenea.

EMPLASTRUM SAPONIS CAMPHORATUM.

R. Emplastri saponis	975
Camphoræ	17
Olei olivarum	8
	1,000

Emplastro liquefacto et semirefrigerato adde camphoram cum oleo ad massam homogeneam tritam.

EMULSIO AMYGDALARUM.

R. Amygdalarum dulcium epispermate exutarum	100
Sacchari albi	40
Aquæ.	1,000 vel Q. S.

Fiat lege artis emulsio partium 1,000.

EMULSIO AMYGDALARUM AMARUM.

R. Amygdalarum amarum decorticatarum	100
Aquæ.	1,000 vel Q. S.

Fiat lege artis emulsio partium 1,000.

EMULSIO BENZINATA.

R. Saponis nigri	50
Benzinæ.	100
Aquæ communis	850
	1,000

Contunde saponem cum parva quantitatæ aquæ ad crassitudinem mucilaginis spissæ; non desinas terendi, addendo benzinam per partes mininas, dein reliquum aquæ.

EMULSIO GUMMOSA.

R. Emulsionis amygdalarum	970
Pulveris gummi arabici	30
	1,000

EMULSIO OLEOSA.

R. Olei amygdalarum dulcium	120
Pulveris gummi arabici	60
Syrupi simplicis	120
Aquæ	700
	1,000

Misce oleum et gummi; infunde, diligenter agitans, circiter duodecim aquæ partes ut fiat emulsio; tum adde aquam residuam et syrupum.

ESSENTIA AMYGDALARUM.

R. Placentæ ex amygdalis amaris frigide et recens expressæ	Q. V.

Cum aqua frigida in pultem liquidam redige, tum ingere balneo mariæ alambici; per duodecim horas frigide macera, destilla ope vasis destillatorii ita exstructi, ut totus vapor ebullitione aquæ cucurbitæ seu alius similis vasis effectus, per tubum sinuatum ad fundum balnei mariæ pertingat ibique amygdalas pervadat ita ut in apparatum condensatorium earum principia volatilia transferat.

Fiat destillatio quamdiu aqua oleo gravida prodit. Essentia in fundo lagenæ collecta ab aqua separetur et in lagunculis clausis cautissime servetur.

Sit limpida, pallide lutea, saporis acris, amygdalas amaras valde redolens. Pond. spec. 1.043. Aeris accessu in acidum benzoicum vertitur.

In quacumque proportione solvitur in alcohole rectificato, in sulphido autem carbonico est insolubilis.

ESSENTIA ANISI.

R. Fructuum anisi contusorum. . . . Q. V.

Fiat balneo vaporis destillatio quamdiu aqua essentia imbuta appareat. Essentia elicita separetur et aqua stillata super nova fructuum copia vapore destilletur.

Idem repetatur donec essentiæ quantitas desiderata obtenta fuerit. Colligatur accurate, et servetur in vitro probe clauso, loco obscuro et frigidiori.

Inter destillandum, tubus refrigeratorius temperaturam 18° parum excedentem conservet.

N. B. Hæc observatio non valet nisi pro essentiis anisi, chamomillæ et fœniculi.

Essentia coloris nulli vel flavescentis, liquida si temperatura 18° excedat; massam vero crystallinam præbet in loco frigido.

Solvitur ex toto in sulphido carbonico et in alcoholis rectificati æquo volumine.

Pondus specificum 0.972-0.995.

ESSENTIA ANISI SULPHURATA.

R. Sulphuris sublimati et loti 1
Essentiæ anisi 8

Liquetur sulphur in bulbo vitreo igne sensim augendo, donec spissescat. Refrigeratione facta, oleum infunde sulphuri, et bulbum imperfecte clausum, per horam, aquæ bullienti expone. Refrigerato denique vase, balsamum auferatur et servetur in vitro clauso, luci subducto.

Sit flavum et odoris essentiæ anisi.

ESSENTIA BERGAMOTTÆ.

Obtinetur expresso cortice externo bergamottæ.

Liquidum limpidum, flavum vel ex flavo virescens, in æquo alcoholis volumine solubile.

Pondus specificum 0.880.

ESSENTIA CAJEPUTI.

Essentia prostat sub forma liquidi pellucidi, flavescentis aut virescentis, odoris fragrantis camphorei, saporis similis, sed subamari.

Hæc essentia sæpius cupri vestigia continet, quod detegitur ope aliquot guttarum solutionis ferro-cyanureti potassii, quæ colorem producit fusco-rubrum, essentia antea cum acido nitrico diluto commixta. Essentia sic adulterata necessario depuranda est. Rejicienda est essentia quæ alcohole non perfecte solvitur, aut destillatione camphoram relinquit.

Pondus specificum 0.910-0.940.

ESSENTIA CAJEPUTI RECTIFICATA.

R.	Essentiæ cajeputi	1
	Aquæ.	10

Duo trientes essentiæ exstillentur.

Sit coloris expers; sine residuo ardet.

ESSENTIA CARYOPHYLLORUM.

Præparetur eodem modo quo essentia anisi, adhibitis caryophylli floribus contusis, antea per biduum in aqua maceratis.

Essentia recens vix colore prædita, tempore fuscescit.

Pondus specificum 1.030-1.066.

In quacumque proportione solvitur alcohole rectificato.

ESSENTIA CHAMOMILLÆ.

Præpara eodem modo quo essentiam anisi, adhibendo flores recentes chamomillæ vulgaris.

Liquidum obscure cœruleum, spissum; temperatura frigida consistentiam butyri assumens; in octuplo vel decuplo alcoholis rectificati volumine solubilis; super sodam causticam exstillatum colorem non amittens.

ESSENTIA CINNAMOMI.

R. Cinnamomi Ceylanici grosse pulverati . Q. V.
Aquæ . . . . Q. S.

Cinnamomum in aqua macera per biduum operationemque perfice sicuti dictum fuit articulo : essentia anisi.

Liquor flavescens, ponderis specifici 1.040-1.090; in quacumque proportione alcohole rectificato solubilis, sed in sulphureto carbonico insolubilis.

ESSENTIA CITRI.

Obtinetur si rasura corticis externi citrorum prelo submittatur et liquor expressus in vase cylindrico exiguo quiescat.

Essentia decanthetur supernatans, filtretur, et servetur in vasis bene clausis, loco frigido et obscuro.

Essentia hæc recenter præparata leviter turbida apparet; sed post aliquod tempus limpida evadit et flavescens. Pondus specificum : 0.847-0.868.

In quadruplo alcoholis rectificati volumine, et in quacumque proportione in sulphido carbonico solvitur.

ESSENTIA CORTICUM AURANTIORUM.

Præparetur eodem modo quo essentia citri, adhibita rasura corticis externi aurantiorum.

Liquidum decolor vel flavescens, ponderis specifici 0.835-0.844; in æquo alcoholis rectificati volumine non solvitur; quintuplo alcoholis voluminі immixtum, solutionem præbet turbidam; in sulphido carbonico solvitur.

ESSENTIA EUCALYPTI.

Præparetur eodem modo quo essentia anisi, adhibendo folia sicca eucalypti.

ESSENTIA FLORUM AURANTII.

Præparetur sicut essentia anisi, adhibitis floribus recentibus aurantii.

Liquidum decolor aut flavescens, in alcohole rectificato in quacumque proportione solubile, in sulphido autem carbonico non solubile.

Pondus specificum : 0.860-0.870.

ESSENTIA FOENICULI.

Præparetur sicut essentia anisi, adhibitis fructibus fœniculi dulcis.

Essentia decolor vel leviter flavescens. Temperatura frigida concrescit. Pondus specificum : 0.896-0.999.

Alcohole rectificato in quacumque proportione solvitur; solutio autem in sulphido carbonico obtenta est turbida.

ESSENTIA HYSSOPI.

Præparetur sicut essentia anisi adhibita herba recenti hyssopi.

Liquidum decolor aut flavescens.

Pondus specificum : 0.889-0.986.

ESSENTIA JUNIPERI.

Præparetur sicut essentia anisi adhibitis fructibus juniperi.

Liquor decolor vel leviter flavescens.

Pondus specificum : 0.853-0.911. Solvitur in decuplo alcoholis rectificati volumine, non vero in sulphido carbonico.

ESSENTIA LAURO-CERASI.

Præparatur destillatione foliorum recentium lauro-cerasi, eodem modo quo indicatur pro aqua lauro-cerasi.

Liquidum decolor vel flavescens, aqua gravius, in alcoholis quacumque quantitate solubile.

Easdem ceterum reactiones exhibet quas essentia amygdalarum amararum.

ESSENTIA LAVANDULÆ.

Præparetur eodem modo quo essentia anisi, adhibitis floribus lavandulæ.

Liquor decolor, flavescens vel ex flavo virescens; pondus specificum : 0.872-0.948; in alcoholis rectificati quacumque quantitate solvitur, non vero solvitur in sulphido carbonico.

ESSENTIA MACIDIS.

Præparatur destillatione macidis.

Recenter præparata nullo colore insignitur, tempore autem fuscescit, stearoptemaque deponit.

Essentiæ 2 partes immiscentur uni parti sulphidi carbonici, a quo separantur si hujus duæ vel tres partes iterum adjiciantur.

Facile solvitur in alcohole et in acido acetico.

ESSENTIA MELISSÆ.

Præparetur sicut essentia anisi, adhibitis foliis recentibus melissæ officinalis.

Liquidum decolor vel leviter flavescens, ponderis specifici 0.850-0.920, in quintuplo vel sextuplo alcoholis rectificati volumine solvitur, non vero in sulphido carbonico.

ESSENTIA MENTHÆ CRISPÆ.

Præparetur eodem modo quo essentia anisi, adhibitis foliis recentibus menthæ crispæ.

Liquor flavescens aut virescens, ponderis specifici 0.867-0.975; solvitur alcohole rectificato in quacumque proportione; in sulphido autem carbonico non plane solvitur.

ESSENTIA MENTHÆ PIPERITÆ.

Præparetur sicut essentia anisi adhibitis foliis recentibus menthæ piperitæ.

Liquor decolor vel flavescens aut virescens, ponderis specifici 0.840-0.975; in alcoholis rectificati æquo volumine solubilis; non perfecte solvitur in sulphido carbonico excedente.

ESSENTIA ROSÆ.

Præparatur destillatione petalorum variarum specierum rosarum.

Massa crystallina, mollis, coloris expers vel leviter flavescens, calore circiter 20° perfecte liquescens.

Solvitur in æquo chloroformii volumine, a qua solutione ope alcoholis pro magna parte præcipitatur.

Præcipitatum alcohole ablutum et in aere siccatum, calore 33° liquescit et refrigeratione crystallisatur.

Essentia rosarum temperatura communi solvitur in 90 partibus alcoholis.

Pondus specificum 0.954.

ESSENTIA RORISMARINI.

Præparetur sicut essentia anisi adhibitis foliis rorismarini.

Liquidum coloris nullius vel flavescentis, ponderis specifici 0.885-0.915; alcohole rectificato in quacumque proportione solubile; solutio autem in sulphido carbonico est turbida.

ESSENTIA RUTÆ.

Præparetur sicut essentia anisi adhibitis foliis recentibus rutæ.

Liquor coloris expers seu flavescens, in æquo alcoholis rectificati volumine solubilis, sed imperfecte tantum in sulphido carbonico.

Pondus specificum 0.857-0.911.

ESSENTIA SABINÆ.

Præparetur sicuti essentia anisi adhibitis foliis recentibus sabinæ.

Liquidum flavescens, ponderis specifici 0.890-0.947, in alcoholis rectificati æquo volumine solubile.

ESSENTIA SALVIÆ.

Præparetur siculi essentia anisi adhibitis foliis salviæ.

Liquor coloris expers vel flavescens; ponderis specifici 0.861-0.922; in alcoholis rectificati æquo volumine solubilis.

ESSENTIA SERPYLLI.

Præparetur sicuti essentia anisi adhibita herba recenti serpylli.

Liquor coloris expers aut flavescens, ponderis specifici 0.895-0.950.

ESSENTIA SINAPIS.

Præparetur eodem modo quo essentia amygdalarum amararum adhibito semine sinapis nigræ.

Liquidum coloris expers aut flavescens, cujus vapores lacrymas provocant, saporis urentis, in 50 partibus aquæ, et in quacunque alcoholis rectificati et sulphidi carbonici quantitate solubile.

Pondus specificum 1.017-1.020.

ESSENTIA TEREBINTHINÆ.

Præparatur destillatione terebinthinæ pini maritimæ.

Essentia est liquida, coloris expers, odoris proprii, saporis acris pungentis.

Pondus specificum 0.86.

Punctum ebullitionis 150°.

Cave ne sit adulteratum cum oleo ex ligno et strobulis diversarum pini specierum destillato, odoris deterioris.

Chartam exploratoriam cœruleam humefactam colore rubro afficit, chartam vero amylatam solutione neutra iodureti potassici imbutam cœruleam reddit.

Convenienter præfertur essentia in Gallia præparata.

ESSENTIA TEREBINTHINÆ RECTIFICATA.

R.	Essentiæ terebinthinæ	1
	Aquæ	6

Destilla quamdiu essentia incolor transit.

Liquor coloris expers, in sulphido carbonico et in 7 partibus alcoholis rectificati solubilis.

Chartam exploratoriam cœruleam non rubefacit, nec chartam amylatam solutione neutra iodureti potassici imbutam colore tingit cœruleo.

ESSENTIA TEREBINTHINÆ SULPHURATA.

R. Sulphuris sublimati et loti 1
Essentiæ terebinthinæ rectificatæ 8

Paretur uti Essentia anisi sulphurata.

ESSENTIA THYMI.

Præparetur sicut essentia anisi adhibita herba thymi.

Liquor coloris expers, flavescens aut virescens, ponderis specifici 0.870-0.905, in alcoholis rectificati et sulphidi carbonici quacumque quantitate solubilis.

ESSENTIA VALERIANÆ.

Præparetur eodem modo quo essentia anisi adhibita radice siccata valerianæ officinalis.

Liquidum flavum, virescens aut fuscescens, ponderis specifici 0.874-0.969, in æquo alcoholis rectificati volumine solubile.

EUPHORBIUM.

In laminis seu frustulis adfertur multiformibus, rotundatis vel angulatis, plerumque perforatis, extus sordide flavis vel rubescentibus, intus albidis, fracturæ conchoideæ, odoris nullius, saporis primo debilis, post masticationem autem acerrimi, urentis. Euphorbium prunis inspersum gratum odorem spargit.

Caute serva.

EXTRACTA.

1. Medicamenta in præparatione extractorum adhibenda colligantur in eo statu, quo maximum effectum medicinalem exhibent, et ab omni immutatione serventur immunia.

2. Convenienter sint divisa ita ut materia dissolventi facile penetrentur.

3. Maceratio fiat calore 15°-20°. Vasa sint talia in quæ nullam actionem exerceant substantiæ adhibitæ, et quæ obturari queant.

4. Generatim materiæ dissolventis actio duabus vicibus exer-

ceatur : primum quidem per viginti quatuor horas maceratio fiat in liquidi præscripti duobus trientibus ; deinde nova per duodecim horas instituetur maceratio adhibitis residuo expresso et materia dissolventi reliqua.

5. Evaporatio peragatur in vasis parum altis porcellaneis, stanneis vel ex cupro rubro confectis caute stanno optimo stannatis, balneo aquæ calefactis.

Liquores durante evaporatione continuo agitentur.

6. Nisi secus indicatur, concentrabitur prius in consistentiam syrupi solutio minus gravida, dein addetur prioris macerationis residuum, miscela evaporabitur ita ut non remaneat nisi quarta pars ; seponetur per horas duodecim et colabitur per pannum humefactum. Liquidum deinde evaporabitur in debitam consistentiam.

7. Casu quo substantia contineret alcoholem seu ætherem, destillatio fieri posset balneo vaporis et concentratio perfici, cavendo tamen ne materiæ quas evaporatio alcoholis vel aetheris reddidisset insolubiles, separarentur.

8. Extracta mollia consistentiam mellis, extracta vero firma consistentiam exhibebunt pilularem ; extracta autem sicca refrigerata pulverari poterunt.

9. Si extracta mollia vel firma sub forma pulveris præscribantur, horum extractorum pars commisceatur parti sacchari lactis pulverati, miscelaque siccetur calore non excedente 50°. Amissio ex desiccatione proveniens reparabitur additione sacchari lactis, ut pondus obtentæ miscelæ perfecte duplum sit pondus extracti in operatione adhibiti. Pharmacopola advertat ad additionem sacchari lactis, ideoque duplum quantitatis a medico præscriptæ tradat.

10. Serventur extracta in vasis obturatis, in loco sicco et frigido collocandis.

EXTRACTUM ABSINTHII.

R.	Herbæ absinthiæ dessiccatæ	1
	Aquæ destillatæ	8

Concentra in consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM ACONITI.

R. Foliorum aconiti napelli recentium, tempore florum collectorum 1,000

In mortario marmoreo contusas, prelo fortiter exprime.

Sedimento dein apponantur :

Aquæ destillatæ 150

Quo facto, misceantur, miscelaque iterum exprimatur.

Liquida dein commixta calore 50° evaporentur donec ad pondus partium 100 redigantur.

Tunc apponantur :

Alcoholis 100

Sine digerant per horas 24, curando ut interdum conquassentur.

Residuum expressum et in :

Alcohole 50

dilutum denuo exprime.

Liquida ita obtenta tandem filtrentur et in consistentiam extracti firmi evaporentur.

Caute servetur.

EXTRACTUM ALOES.

R. Aloes capensis 1
Aquæ destillatæ bullientis 4

Agita donec aloe appareat soluta.

Sepone per 48 horas, cola et balneo mariæ evapora ad crassitudinem extracti sicci.

EXTRACTUM ARNICÆ

R. Florum arnicæ 1
Alcoholis 60°. 12

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM BELLADONNÆ.

R. Foliorum recentium belladonnæ floriferæ. Q. V.

Præparetur sicut extractum aconiti.

EXTRACTUM BISTORTÆ.

R. Radicum bistortæ 1
Aquæ destillatæ 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CANNABIS INDICÆ.

R. Herbæ exsiccatæ cannabis indicæ . . . 1
Alcoholis 90°. 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CANTHARIDIS.

R. Cantharidum . . . . Q. V.
Ætheris . . . . Q. S.

Pulverem in apparatu depulsorio extrahe ope ætheris, liquorem deinde destilla, quo facto extractum calore 40° non excedente calefac donec evanuerit odor æthereus.

N. B. Æther hac in operatione collectus pro præparatione extracti cantharidum vel earundem tincturæ reservetur.

EXTRACTUM CARDUI BENEDICTI.

R. Herbæ dessiccatæ cardui benedicti. . . 1
Aquæ destillatæ 8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CASCARILLÆ.

R. Corticis cascarillæ 1
Aquæ destillatæ bullientis 6

Per 12 horas macera frequenter agitando, decantha et exprime residuum. Huic residuo appone :

Aquæ bullientis 2

Post macerationem per 6 horas denuo exprime. Colaturas misce, sepone ad subsidendum, liquorem decantha et ad consistentiam extracti firmi evapora.

EXTRACTUM CASSIÆ.

R. Cassiæ. . . . . Q. V.

Ex fructu aperto extrahe pulpam, diaphragmata et semina; hæc in æquo aquæ frigidæ pondere dilue, et macera donec pulpa apprime emolliatur, deinde in pannum effunde et exstilla. Materias in panno residuas cum parva aquæ quantitate ablue. Liquores tandem misce et ad consistentiam extracti mollis evapora.

EXTRACTUM CENTAURII MINORIS.

R. Summitatum centaurii minoris. 1
Aquæ destillatæ 8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CHAMOMILLÆ.

R. Florum chamomillæ romanæ 1
Aquæ destillatæ 8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CICOREI.

R. Radicum cicorei. 1
Aquæ destillatæ 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CHINÆ.

R. Chinæ fuscæ. 1
Alcoholis 30°. 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CHINÆ FLAVÆ.

R. Chinæ calysayæ 1
Alcoholis 60°. 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CHINÆ FRIGIDE PARATUM.

R. Chinæ fuscæ 1
Aquæ destillatæ 2

Per 12 horas macera, dein exprime, macerationemque renova ut extrahatur pulvis e principiis suis solubilibus. Dein liquorem filtra et ad consistentiam syrupi spissi evapora. Appone tandem alcoholis partes duas pro centum extracti, et in vase probe clauso serva.

N. B. Si extractum istud ad siccitatem evaporetur, obtinetur sal essentialis Lagaraey.

EXTRACTUM CHINÆ RUBRÆ.

R. Chinæ rubræ. 1
Alcoholis 60°. 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CICUTÆ.

R. Herbæ recentis cicutæ floriferæ. . . Q. V.

Præparetur sicuti extractum aconiti.

EXTRACTUM COCA.

R. Foliorum coca 1
Alcoholis 60° 8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM COLCHICI.

R. Seminum colchici 1
Alcoholis 60°. 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS.

R. Colocynthidis seminibus exemptæ . . 1
Alcoholis 60°. 8

Evapora ad consistentiam extracti sicci.

EXTRACTUM COLUMBO.

R. Radicis columbo 1
Alcoholis 60° 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM CUBEBARUM.

R. Cubebarum 1
Ætheris 6

Pulverem per triduum, in 4 partibus ætheris macera; exprime et residuo 2 ætheris partes appone; post macerationem 12 horarum denuo exprime.

Solutionem collige et filtra; destilla ætherem et concentra ad consistentiam extracti mollis.

Servetur in vase clauso. Agitetur pro usu.

EXTRACTUM DIGITALIS.

R. Foliorum digitalis floriferæ, recenter
desiccatorum 1
Alcoholis 60° 8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM DULCAMARÆ.

R. Stipitum dulcamaræ. 1
Aquæ destillatæ. 8

Evaporetur ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM FABÆ CALABARIENSIS.

R. Seminum Calabariensium 1,000
Alcoholis 80° 5,000

Semina in pulverem subtilem redacta per duascirciter horas in 1,000 alcoholis partibus digerantur, dein miscelam in apparatum effunde depulsorium, liquoremque expelle; quo facto, super pulverem

infunde 1,000 alcoholis bullientis, et deinde reliquum alcoholis pariter bullientis successive affunde.

Liquores destilla ut extrahatur alcohol, evaporationemque balneo mariæ interim agitando perfice, ut extractum adigatur ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM FILICIS.

R.	Rhizomatum filicis maris	1
	Ætheris	6

Rhizomata filicis recens siccata, præsertim gemmis instructa, squamis foliaceis fuscis mundata, et quantum fieri potest pulverata in 4 partibus ætheris per triduum macera.

Deinde exprime, et iterum macera in ætheris 2 partibus per 12 horas.

Quo facto, exprime denuo; liquoribus mixtis et filtratis, elice destillatione ætherem, residuumque calore non excedente 40° ad extracti mollis consistentiam concentra.

EXTRACTUM FUMARIÆ.

R.	Herbæ fumariæ	1
	Aquæ destillatæ	8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM GELSEMII.

R.	Radicis gelsemii.	1
	Alcoholis 60°	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM GENTIANÆ.

R.	Radicis gentianæ.	1
	Aquæ destillatæ	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM GRAMINIS.

R.	Rhizomatum graminis	1
	Aquæ destillatæ.	6

Evaporetur ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM GRANATI.

R.	Corticum radicis granati	1
	Alcoholis 60°	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM HÆMATOXYLI.

R.	Ligni campechiani	1
	Aquæ destillatæ.	14

Lignum in 8 aquæ partibus ebulliat donec ad dimidium rediga tur, dein coletur et exprimatur. — In residuum effundantur 6 aquæ partes, iterumque ebulliat miscela et exprimatur. Liquores mixtos cola et evapora ad consistentiam extracti sicci.

EXTRACTUM HYOSCIAMI.

R. Foliorum recentium hyosciami floriferi. Q. V.

Præpara sicuti extractum aconiti.

EXTRACTUM IPECACUANHÆ.

R.	Radicis ipecacuanhæ.	1
	Alcoholis 60°	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM JABORANDI.

R.	Foliorum jaborandi.	1
	Alcoholis 60°	8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM JUGLANDIS.

R.	Foliorum juglandis	1
	Aquæ destillatæ.	8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM JUNIPERI.

R.	Fructuum juniperi	1
	Aquæ destillatæ	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM LACTUCÆ.

R. Corticum recentium stipitum lactucæ . Q. V.

Præparetur sicuti extractum aconiti.

EXTRACTUM LACTUCARII.

R.	Lactucarii grosse pulverati	1
	Alcoholis 60°.	6

Evapora ad consistentiam extracti sicci.

EXTRACTUM LIQUIRITIÆ.

R.	Radicis liquiritiæ	1
	Aquæ destillatæ	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM LUPULI.

R.	Conorum lupuli	1
	Alcoholis 60°.	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM MATICO.

R. Foliorum matico. 1
Alcoholis 60°. 7

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM MEZEREI.

R. Corticum mezerei 1
Alcoholis 80° 7
Ætheris 1

Per triduum in 4 alcoholis partibus maceretur mezereum, dein exprimatur. In residuum effunde 3 partes alcoholis, et post macerationem 12 horarum iterum exprime. Liquores misce et filtra, alcoholemque destillatione balneo mariæ peracta extrahe. Residuum in vas quod apprime claudi possit immitte, ætherem appone, ac frequenter agita per 24 horas. Solutionem ætheream decantha, ætherem destillatione extrahe, et evapora ad consistentiam extracti mollis.

EXTRACTUM MONESIÆ.

R. Corticis monesiæ. 1
Aquæ destillatæ 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM MYRRHÆ.

R. Myrrhæ 1
Aquæ destillatæ 4

Per triduum macera interim sæpe agitando; dein decantha, per pannum cola, et ad consistentiam extracti sicci evapora.

EXTRACTUM NUCIS VOMICÆ.

R. Nucis vomicæ 1
Alcoholis 70° 5

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM OPII.

R.	Opii	1
	Aquæ destillatæ	12

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM PAPAVERIS.

R.	Capsularum papaverum seminibus liberatarum	1
	Aquæ destillatæ.	14
	Alcoholis 70°.	Q. S.

Capsulas per 24 horas macera in 8 aquæ partibus, deinde exprime. In residuum effunde 6 aquæ partes, et post macerationem per 12 horas denuo exprime. Liquores mixtos per pannum cola et ad consistentiam syrupi evapora.

Post refrigerationem, massam in triplo alcoholis 70° pondere dilutam per 12 horas macera interim sæpe agitando, dein filtra et ad consistentiam extracti firmi evapora.

EXTRACTUM PAULLINIÆ.

R.	Paulliniæ.	1
	Alcoholis 60°.	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM POLYGALÆ.

R.	Radicis polygalæ senegæ	1
	Alcoholis 60°.	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM PULSATILLÆ.

R.	Herbæ pulsatillæ.	1
	Alcoholis 60°.	8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM QUASSIÆ.

R. Ligni quassiæ 1
Aquæ destillatæ 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM RATANHIÆ.

R. Radicis ratanhiæ 1
Aquæ destillatæ 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM RHEI.

R. Radicis rhei 1
Aquæ destillatæ 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM RHEI COMPOSITUM.

R. Extracti rhei 3
Extracti aloës 1
Aquæ destillatæ 4

Leni calore solve, dein appone :

Saponis jalappæ 1

Solutam in :

Alcoholis 60° 4

Misce et evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM SABINÆ.

R. Summitatum recentium sabinæ . . . 1
Alcoholis 60° 8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM SAPONARIÆ.

R.	Radicis saponariæ	1
	Aquæ destillatæ	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM SARSAPARILLÆ.

R.	Radicis sarsaparillæ	1
	Alcoholis 60°.	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM SCILLÆ.

R.	Squamarum siccatarum scillæ	1
	Alcoholis 60°.	6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM SECALIS CORNUTI.

R.	Secalis cornuti	1
	Aquæ destillatæ	5
	Alcoholis 70°.	Q. S.

Secale cornutum macera, interim sæpe agitando, in 3 aquæ partibus, per 24 horas; dein exprime, et in residuum 2 partes aquæ effunde. Post macerationem per 12 horas denuo exprime.

Liquores mixtos balneo mariæ calefac donec coagulentur, deinde per pannum colatos, evapora ad consistentiam syrupi.

Post refrigerationem extracti, ipsum in triplo alcoholis 70° pondere dilue, et post macerationem per 12 horas cum frequenti agitatione peractam, filtra et ad consistentiam extracti firmi evapora.

EXTRACTUM SENNÆ.

R.	Foliorum Sennæ	1
	Aquæ destillatæ	8

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM STRAMONII.

R. Foliorum stramonii recentium . . . . Q. V.

Præparetur sicuti dictum est pro extracto aconiti.

EXTRACTUM TARAXACI.

R. Radicis et herbæ recentis taraxaci. . . Q. V.

Radicem et herbam concide et in mortario marmoreo contunde, aquæ æquam sensim addendo quantitatem; exprime succum, ipsumque ad coagulandam materiam albuminoïdeam decoque; dein ad subsidendum sepone, tandem per pannum cola et ad consistentiam extracti firmi evapora.

EXTRACTUM TORMENTILLÆ.

R. Radicis tormentillæ 1
Aquæ destillatæ 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

EXTRACTUM VALERIANÆ.

R. Radicis valerianæ 1
Alcoholis 60°. 6

Evapora ad consistentiam extracti firmi.

FABA SANCTI IGNATII.

Granum ovatum, circiter duorum centimetrorum cum dimidio, irregulare, tres vel quatuor seu etiam quinque facies angulosas aut compressas exhibens, simul ac conspicuum in una extremitatum umbilicum.

Exterius est saturate cinereum, granulosum; interius vero fuscescens, corneum, translucidum ac durissimum, saporis amarissimi.

Caute servetur.

FÆCULA SOLANI TUBEROSI.

Pulvis albus, insipidus, inodorus, globulis microscopicis forma et volumine majori a globulis amyli tritici discrepantibus constans, sed ejusdem proprietates chemicas exhibens.

Cinerum non relinquat nisi 1 partem pro 100.

FARINÆ EMOLLIENTES.

R.	Farinæ lini	400
	Pulveris radicis altheæ	400
	» foliorum malvæ	100
	» summitatum meliloti . . .	100
		1,000

Misce.

FARINA LINI.

R. Seminum lini. . . . . Q. V.

Sejunctis substantiis alienis, leni calore desicca et in pulverem semi-subtilem, nullum relinquendo residuum, redige.

Farina lini recens sit præparata et generatim ita sit composita ut 100 partes farinæ 30 partes olei quod non sit rancidum ontineant.

Si manu prematur, formam massæ servat farina lini.

Post incinerationem, 100 partes farinæ 3 ad 6 cinerum partes relinquunt; si aqua diluatur, iodo colorem cœruleum non induit, et miscela non spargit, neque post plures horas, odorem essentiæ sinapis.

FARINA SINAPIS ALBÆ.

Præparetur eodem modo quo farina lini.

Farina sinapis albæ sit recenter præparata. Aqua iodata colorem cœruleum non induit; post incinerationem 100 partes farinæ 5 partes

cinerum relinquunt; solutione sodæ causticæ colore ex rubro fuscescente non afficitur; cum alcohole si ferveat, illi materiæ dissolventi non tribuit ut ope alcalium rubefiat.

FARINA SINAPIS NIGRÆ.

Præparetur sicuti farina lini.

Farina sinapis nigræ sit recenter præparata, caracteresque pro farina sinapis albæ indigitatos exhibeat.

FEL BOVINUM.

Liquor viscosus, ex fusco flavus vel viridis, odoris peculiaris ingrati, saporis peramari et nauseosi. Sit recens.

FEL BOVINUM DEPURATUM.

R.	Fellis bovini recentis	1
	Alcoholis	1

Has substantias perfecte commixtas in vase clauso per 12 horas sepone, dein partem liquidam decanthatam et filtratam ad ebullitionem decoque cum quantitate sufficiente carbonis animalis depurati, donec liquor colore flavescente tingatur.

Quo facto, liquorem filtra et balneo mariæ evapora usquedum residuum post refrigerationem in pulverem redigi queat. Serva in vase clauso.

Pulvis flavescens, hygrometricus, saporis amari, in aqua et in alcohole solubilis.

FERRO-CYANURETUM POTASSII.

Crystalli prismaticæ cum basi quadrata, odore carentes, saporis subdulciusculi et amaricantis, aqua sed non alcohole solubiles; igne decomponuntur.

Solutio aquosa non præcipitatur chlorureto barytico nec cum acido sulphurico diluto effervescit.

FERRO-CYANHYDRAS QUININÆ.

R.	Sulphatis quininæ	2
	Ferro-cyanureti potassii.	3
	Aquæ destillatæ	12

Simul ferveant et interdum agitentur donec præcipitatum formatum sit e flavo viride, et resinaceum. Liquore refrigerato et decanthato, præcipitatum aqua destillata abluatur et spiritu vini calido solutum tum refrigeratione, tum evaporatione cogatur in crystallos, quæ siccatæ vitro bene clauso serventur.

Sal prostans in crystallis vel in pulvere e flavo viridi, saporis amari, alcohole solubilis, aqua vero insolubilis.

FERRUM HYDROGENIO REDUCTUM.

Pulvis impalpabilis, gravis, coloris grisei, hebetis, non splendens nisi ope substantiæ duræ et politæ fricetur; vehementer magnete attractus; sine residuo in acido chlorhydrico et in acido sulphurico dilutis solvitur temperatura ordinaria, interque solutionem hydrogenium odore carens spargit.

Solutio chlorhydrica nullo modo aut levissime rubefit apposito sulpho-cyanureto potassii. Cum acido nitrico calefacta, deinde ammonia excedente præcipitata, solutio hæc chlorhydrica exhibet, sejuncto prius præcipitato, liquorem in quem nullatenus agit acidum sulpho-hydricum, et qui, sicce evaporatus, residuum penitus volatile relinquit.

FLORES ALTHEÆ.

Flores pallide incarnati, caliculo cum sex ad novem bracteis muniti, pene inodori et insipidi.

FLORES ARNICÆ.

Flores compositi, radiati, flavi, solitarii, erecti; flosculis radii tridentatis, angustis, ligulatis, flosculis centri disci tubulosis, quinquedentatis, omnibus infra papposis, odoris proprii aromatici, saporis subamari, acris.

FLORES BORRAGINIS.

Flores, corolla cœrulea, rotata, quinque partita, odoris debilis.

Cave ne substituantur flores echii vulgaris, corolla campanulata ore obliquo.

FLORES CARYOPHYLLI AROMATICI.

Flores inexplicati siccati, claviculis minoribus non absimiles, obscure rubro-fusci, odoris proprii grati, fragrantis, saporis aromatici, calidi, acris, amari. Seligantur grandes, egregie fusci, ponderosi, fragiles, odoratissimi et triti oleum partim exsudantes.

FLORES CHAMOMILLÆ ROMANÆ.

Flores compositi, radiati, receptaculo conico, paleaceo, flosculis centri flavis, tubulosis, ligulatis, radii albis, numerosis, brevibus, odoris aromatici fortis, saporis aromatici et amari.

FLORES CHAMOMILLÆ VULGARIS.

Flores compositi, radiati, receptaculo conico, nudo, involucro squamis arctis et imbricatis instructo, flosculis centri flavis, radii albis, reflexis, odoris proprii gravis, saporis amari, aromatici. Colligantur nuper evoluti.

Ne confundantur cum floribus anthemidis arvensis et anthemidis cotulæ, quorum receptaculum paleaceum est.

FLORES CINÆ.

Capitula inexplicata, cum 3 vel 5 floribus, parva, oblonga, e flavo viridia, glabra, cauliculorum tenuium foliorumque particulis intermixta, odoris gravis, zedoariæ radicis non dissimilis, saporis ingrati, amari, subacris.

Serva in vasis probe clausis.

Pedunculi et folia removenda sunt, nec admittendum semen contra barbaricum seu africanum, flosculis minimis, globosis, albidotomentosis, dignoscendum.

FLORES CITRI AURANTII.

Flores candidi, calyce quinquedentato, corolla pentaphylla, petalis obtusis, crassis, calyce multo longioribus. Recentes sunt odoris fragrantis, grate aromatici, siccati flavescentes, minus odori.

Ante perfectam evolutionem colligantur.

Ne confundantur cum floribus citri medicæ, paulo majoribus, extus purpureis.

FLORES FARFARÆ.

Flores flavi, compositi, radiati, odoris fere nullius, saporis amariusculi. Colligantur nuper evoluti.

FLORES GNAPHALII.

Florum capitula, habent involucra squamis instructa coloratis, lævibus. Flores albi aut subpurpurei.

FLORES LAVANDULÆ.

Flores verticillati, parvi, violacei, bilabiati, labio superiore bifido, inferiore trifido; odoris sunt aromatici, grati, saporis amari, calidi.

FLORES MALVÆ.

Flores recentes sunt violacei, purpureo-venosi, corolla quinque partita, et caliculo tres bracteas continente, muniti.

Corolla siccata colorem violaceum uniformem assumit.

FLORES PAPAVERIS RHOEADOS.

Petala punicea, subrotunda, basi nigro muculata, odoris debilis, saporis subamari, mucilaginosi. Capsula est obovata vel subrotunda et glabra; qua nota ab affinibus speciebus distinguitur, sæpe in eadem regione crescentibus.

FLORES ROSÆ PALLIDÆ.

Petala obovato-cordata, pallide rubentia, odoris suavissimi, saporis subdulcis leniter adstringentis. Ante plenam evolutionem colligantur.

FLORES ROSÆ RUBRÆ.

Petala obovato-cordata, purpurea, odoris suavis sed debilioris quam rosæ centifoliæ, saporis subadstringentis et amaricantis. Colligantur ante florum explicationem, et, staminibus remotis, celeriter siccentur.

FLORES SAMBUCI.

Flores notissimi, tempestate sicca colligendi, et celeriter siccandi.

FLORES SPIREÆ ULMARIÆ.

Flores albi vel rosei, odoris fragrantis, suavis.

FLORES TANACETI.

Flores compositi, semi-globosi, aurei, flosculis centri tubulosis quinquefidis, radii trifidis, odoris ingrati, saporis aromatici.

FLORES TILIÆ.

Flores pedunculis cum bracteis solitariis, oblongis, sublanceolatis connatis, sunt parvi, ex albido viridescentes, quinquepetali, recentes odoris suavissimi, siccati prope inodori, saporis dulcis submucilaginosi.

Colligantur una cum bracteis.

FLORES VERBASCI.

Corollæ luteæ, rotatæ, monophyllæ quinquefidæ, odoris rosacei debilis, suavis, saporis mucilaginosi, visciduli.

Serventur in loco sicco, abjicianturque qui colorem luteum amiserunt.

FLORES VIOLÆ ODORATÆ.

Flores corollis quinquepetalis, calcare munitis, petalis intense ianthinis, odoris gratissimi qui desiccatione partim deperditur, saporis mucilaginei, subamari.

Caute siccentur et in vasis clausis, loco sicco, serventur.

FOLIA ACONITI.

Folia digitato-palmata, ad petiolum usque ter vel quinque partita, laciniata et acuminata, glabra, superne læte viridia et nitida, subtus pallidiora, saporis amari intense acris, odoris, si conterantur, virosi.

Colligantur tempore quo planta proxime erit florifera, prompte siccentur, et in loco sicco caute serventur.

Ne confundantur folia aconiti napelli cum foliis ceterarum specierum, neque cum foliis quarumdam specierum delphinii.

FOLIA ALTHEÆ.

Folia petiolata, ovato-cordata, sublobata et inæqualiter dentata, tomentosa, coloris cinereo-viridescentis, odoris fere nullius, saporis mucilaginosi.

Colligantur sub efflorescentiam et quam celerrime siccentur.

FOLIA BELLADONNÆ.

Folia magna, ovato-lanceolata, in petiolum attenuata, integerrima, superne saturatius viridia, glabra, subtus pilis brevissimis prædita, saporis fatui, ingrati, amariusculi. Sumantur e planta propediem florifera, et in loco sicco serventur.

FOLIA CICUTÆ.

Folia permagna, tripinnata, constantia e segmentibus, ovato-oblongis, acutis, pinnatifidis, superne saturate viridibus, subtus pallidioribus, utrinque glabris, odoris peculiaris siccatione aucti, saporis acris, nauseosi.

Siccata folia colorem ne amiserint, nec sint pallidentia, nigrescentia vel mucida; potassa soluta concentrata madefacta, odorem cicutinæ spargunt.

Folia ante anthesin e plantis bimulis colligenda, et cautissime in loco sicco servanda.

FOLIA CITRI AURANTII.

Folia ovato-oblonga, acuta, dentata, coriacea, utrinque lævia, integra et glandulis oleiferis pellucidis punctata, odoris grate aromatici, saporis quoque aromatici et amari.

FOLIA COCA.

Folia viridia, lanceolata, breviter petiolata, longitudine circa 4 centimetra, latitudine inter 2 et 3 centimetra variantia, odorem theæ spargentia, saporis prius amari et adstringentis, dein acriusculi et in gutture ardentis.

FOLIA DIGITALIS.

Folia ovato-oblonga, acuta, leviter et inæqualiter crenata, tactu mollia, superne saturate viridia, subtus pallidiora, pubescentia, saporis acris, amarissimi.

E plantis incultis, in locis siccis crescentibus, tempore primo efflorescentiæ, colligantur.

Siccentur celeriter, et caute serventur in loco sicco, vase clauso et a luce remoto.

FOLIA DIOSMÆ CRENATÆ.

Folia 2 ad 3 centim. longa, ovata, crenata, dura, glabra, luteo-viridia, margine glanduloso-punctata, odoris penetrantis ingrati, saporis amari, aromatici.

Serventur in vase clauso.

FOLIA DRACOCEPHALI MOLDAVICI.

Folia ovato-lanceolata, fere glabra, in circuitu crenata, odoris penetrantis, sat grati, odori melissæ paulisper similis.

FOLIA EUCALYPTI.

Folia e viridi flavescentia, fragilia, arcuata, carina utrinque scabra prædita, odorem balsamicum penetrantem, præcipue dum manu conteruntur, præbentia, saporem vero aromaticum, resinosum, subamarum, prius calidum, deinde sensum refrigerationis insignis gratum præ se ferentem.

FOLIA FARFARÆ.

Folia radicalia, lata, longe petiolata, subcordata, angulata, denticulata, crassa, superne glabra et læte viridia, subtus albido-tomentosa, odoris fere nullius, saporis mucilaginosi, amari, subadstringentis.

FOLIA HYOSCIAMI.

Folia sessilia, oblongo-ovata, acuta, lata, pinnati-lobato-sinuata, mollia, pilis articulatis glandulosis cooperta, leviter viscida, saturate viridia, odoris virosi ingrati, saporis fatui, amari, acris.

Ex plantis incultis propediem floriferis colligantur, celeriter siccentur et in loco sicco et obscuro serventur.

Abjiciantur folia quorum color adulteratus est, vel quæ odorem fœtidum spargunt.

FOLIA JABORANDI.

Folia e viridi flavescentia, dum sunt integra nullum fere odorem spargentia ; si vero manu conterantur, odorem corticis aurantii desiccati parum redolentia ; saporis acris, aromatici.

Sunt coriacea, glabra, oblonga, lanceolata, inferius inæqualia, in vertice vero, cujus media pars sinuata videtur, truncata, margine integra, nervos utrinque scabros exhibentia.

Longitudine generatim inter 8 et 12 centimetra, latitudine autem inter 2.5 et 5 centimetra continentur ; glandulas tandem plurimas pellucidas præbent.

FOLIA JUGLANDIS.

Folia magna, impari-pinnata, pinnis oblongo-ovalibus, glabris, subserratis, odoris haud ingrati, saporis amari et adstringentis.

Colligantur mense junio et celeriter siccentur ; post desiccationem sint viridia.

FOLIA LAURI.

Folia oblonga, lævia, acuminata, texturæ coriaceæ, odoris grati, saporis acris, aromatici.

FOLIA LAURO-CERASI.

Folia ovato-oblonga, acuta, integra, denticulata, coriacea, superne nitida et laete viridia, subtus pallidiora, et quibusdam glandulis instructa, quarum duæ ad basin videntur, fere inodora, sed digitis trita odoris nuclei persici.

Adhibeantur nonnisi recentia.

FOLIA MALVÆ.

Folia septemlobata, acuta, dentata, subtus subvillosa, petiolis pilosis.

FOLIA MATICO.

Folia ovato-lanceolata, 5 ad 20 centimetra longa, carinis maxime scabris insignia, odoris aromatici, saporis acris et amari.

FOLIA MELISSÆ.

Folia breviter petiolatata, ovato-cordata, obtusa, inæqualiter serrata, rugosa, pubescentia, supra læte viridia, infra pallidiora, odoris grati citrini, saporis amariusculi.

Ne confundantur cum foliis dracocephali moldavici.

FOLIA MENTHÆ CRISPÆ.

Folia brevissime petiolata, ovato-cordata, grosse et inæqualiter dentata, margine plus minusve undulato-crispa, rugosa, subhirsuta, obscure viridia, odoris fragrantis, balsamici, saporis aromatici, calidi, amari.

FOLIA MENTHÆ PIPERITÆ.

Folia subpetiolata, ovato-lanceolata, acuta, serrata, supra glabra, subtus hirsuta, læte viridia, odoris fragrantis, saporis aromatici, camphoracei, urentis, et postea grate refrigerantis.

Ne confundatur hæc planta cum mentha viridi L., quæ distinguitur foliis angustis, lanceolatis, acuminatis, utrinque glabris.

FOLIA NICOTIANÆ.

Folia probe siccata, viridia, nondum contorta, odoris proprii, saporis amari, acerrimi.

FOLIA PULEGII.

Folia petiolata, ovato-lanceolata, obtusa, serrata, hirsuta, saporis aromatici, fervidi, odoris valde fragrantis, odori menthæ similis.

FOLIA RIBESII NIGRI.

Folia longa, petiolata, quinque-lobata, lobis acutiusculis grosse serratis, supra glabra, subtus pubescentia, odoris grati, saporis styptici, aciduli.

FOLIA RORISMARINI.

Folia lineari-lanceolata, obtusa, marginibus revoluta, superne glabra et saturate viridia, subtus incana et tomentosa, odoris fragrantis, fortis, saporis calidi, urentis, camphoracei.

FOLIA RUTÆ.

Folia bi-vel tri-pinnatifida, ex glauco viridia, petiolis longis, teretibus, supra obsolete sulcatis, foliolis oblongo-obtusis, integris vel margine minutim crenatis, terminali latiore, obovato; odoris fortis, saporis acris, amari, subaromatici.

Folia paululum ante anthesim colligenda.

Caute serventur.

FOLIA SABINÆ.

Folia minuta, quaterna, adpresso-imbricata, crassiuscula, saturate viridia, odoris gravis, ingrati, saporis nauseosi, resinoso-balsamici, amari.

Adhibentur summitates herbaceæ, quarum color viridis persistat.

Ne confundantur cum foliis juniperi communis, neque cum foliis juniperi virginianæ; harum enim plantarum folia sunt terna, alio odore prædita.

Caute serventur.

FOLIA SALVIÆ.

Folia petiolata, ovato-lanceolata, acuta, denticulata, rugosa, utrinque subvillosa, coloris ex glauco viridis, odoris fragrantis, balsamico-camphoracei, saporis amari, aromatici.

FOLIA SAPONARIÆ.

Folia ovato-lanceolata, glabra, integerrima, longitrorsum trinervia, saporis mucilaginosi, amariusculi.

FOLIA SENNÆ.

Folia lanceolato-ovata, acuta, basi inæqualia, 2 ad 3 centim. longa, 5 ad 7 millim. lata, valde nervosa, tactu molliuscula, e flavo viridia, odoris peculiaris nauseosi, saporis mucilaginosi-amariusculi, subacris, ingrati. Optima ex Alexandria et Tripoli adferuntur; quæ ex Aleppense et Italia proveniunt viliora; hæc latiora, tenuiora, minus acuminata, lætius viridia, vix amaricantia.

Cave etiam ne foliis cynanchi arghel Delil., longioribus, magis coriaceis, ex albo viridibus, utrinque pariter in acutum angustatis, parum venosis, necnon coriariæ myrtifoliæ, majoribus, crassioribus, trinervibus, glabris, coriaceis, glaucis, inodoris, saporis acris, adstringentis, immixta sint.

FOLIA SENNÆ SPIRITU EXTRACTA.

R.	Foliorum sennæ	1
	Alcoholis 92°	4

Macera per biduum, exprime et sicca.

FOLIA SOLANI NIGRI.

Folia petiolata, ovato-lanceolata, sinuata, saturate viridia, saporis fere nullius, odoris sub fœtidi.

Serventur caute in loco sicco.

FOLIA STRAMONII.

Folia magna, petiolata, ovata, acuminata, sinuata, supra saturate viridia, odoris nauseosi, virosi, saporis peramari, ingrati.

Colligantur ex planta perfecte evoluta, et caute serventur in loco sicco.

Folia quorum color adulteratus esset, rejiciantur.

FOLIA UVÆ URSI.

Folia parva, obovata, breviter petiolata, basi angustiora, integerrima, margine subrevoluta, supra glabra et saturate viridia, subtus pallidiora, venosis, odoris debilis, saporis peramari, adstringentis.

Ne confundantur cum foliis vaccinii vitis ideæ, margine non revolutis et subtus punctis fuscis aut nigricantibus notatis.

FOLIA VERBASCI.

Folia magna, ovato-lanceolata, dentata, ex griseo viridia, utrinque tomentosa, inferioribus petiolatis, saporis mucilaginosi.

FRUCTUS ANISI STELLATI.

Capsulæ sejuges octojugesve, in stellæ formam dispositæ, compressiusculæ, coriaceæ, extus rugosæ, intus lævigatæ, e fusco ferrugineæ, uniloculares, margine superiore dehiscentes, semina singula includentes ovata, inodora, compressa, fusca, nitida, lævia; pericarpium est odoris aromatici grati, saporis dulcis anisati.

FRUCTUS ANISI VULGARIS.

Fructus parvi, ovati, longitudinaliter striati, pubescentes, sub virides, odoris fragrantis, saporis dulcis, aromatici.

FRUCTUS CAPSICI.

Fructus est capsula oblonga, obtusa, conica, 6 ad 9 centim. longa, cum pericarpio coriaceo, maturis coloris coccinei, bi-trilocularibus, semina foventes parva, albida, oblonga, compressa; pericarpium et grana sunt saporis fervidi, acris piperacei.

FRUCTUS CARDAMOMI MINORIS.

Fructus est capsula triquetra, 8 ad 12 millim. longa, striis longitudinalibus notata, pallide lutea, semina fovens parva, rugosa, angulosa, fere tetragona, extus rufescentia aut nigrescentia, intus alba, odoris grati aromatici, saporis fragrantis, calidi, subcamphoracei. Rejiciantur capsulæ pro usu.

FRUCTUS CARVI.

Fructus parvi, ovato-oblongi, striati, magnopere quinque costati, subincurvi, e flavo fusci, odoris fragrantis, saporis aromatici, acris, calidi, amari.

FRUCTUS CASSIÆ.

Capsulæ leguminosæ duræ, cylindricæ, rectæ, 2 ad 3 centim. crassæ, 30 centim. et ultra longæ, nigricantes, per diaphragmata papyracea in loculis pulpam mollem, grate dulcem et semina subrotunda, compressa, nitida, fulva, complectentibus.

Eligantur capsulæ quarum semina, dum agitantur, sonum non edunt.

FRUCTUS CITRI.

Fructus notissimi. Sumantur quam maxime fieri potest recentes.

FRUCTUS CITRI AURANTII.

Fructus notissimi. Eligantur maturi et quam maxime fieri potest recentes.

FRUCTUS COLOCYNTHIDIS.

Fructus cortice exutus, globosus, mali seu aurantii magnitudine, ex flavo albidus, spongiosus, saporis intense amari, acris et nauseosi, tri vel sexlocularis, e seminibus numerosis inclusis pro usu separandus.

Præferantur colocynthides quarum pars carnosa sit albida, abundans et seminum parvam quantitatem continentes.

FRUCTUS CORIANDRI.

Fructus parvuli, globosi, piperis albi fere magnitudine, ex cinereo flavi vel ex flavo fusci, leviter striati, e seminibus (achæniis) geminis arcte cohærentibus constantes, odoris grate aromatici, saporis subdulcis, aromatici, subacris.

FRUCTUS CUBEBÆ.

Baccæ rotundæ, magnitudine pisi minoris, duræ, pedunculatæ, reticulato-rugosæ, coloris cinereo-fusci, sub testa putamen fragilem nucleo fusco, intus albido, oleoso includentes, saporis gravis, aromatici, amari, piperacei.

Pedunculis, quos ordinario continent, exuantur, et rejiciantur baccæ pallidæ, læves, quæ contritæ apparent siccæ.

Ne confundantur cum cubebis falsis.

FRUCTUS CUMINI.

Fructus oblongi, ovati, utrinque attenuati, 4 ad 5 millim. longi, ex cinereo flavi seu fulvi, carpellis seu mericarpiis jugis quinque hispidis, odoris fortis, aromatici, parum grati, saporis proprii acris amariusculi, pungentis.

FRUCTUS CYDONIÆ.

Fructus maturi pyriformes, subglobosi, pallide lutei, tomento leviter tecti, odoris proprii grati, saporis acerbi et subamari.

Adhibentur recentes.

FRUCTUS FOENICULI.

Fructus oblongi, globulosi, pallide virides, 7 millim. circiter longi, bipartibiles, achænis convexo-planis, quinquecostatis ex una parte, ex altera vero compressis, odoris fortis, aromatici, grati, saporis similis, subdulcis.

Rejiciantur fructus fœniculi vulgaris D. C. et fœniculi piperiti D. C. qui sunt nigrescentes, parviusculi, et saporis acris.

FRUCTUS JUJUBÆ.

Drupæ siccatæ magnitudine pruni minoris, rugosæ, ovales, utrinque obtusæ, rubræ, in parenchymate carnoso, granulato, grate dulci et mucilaginoso, nucleum ferentes oblongo-ovatum, utrinque acutissimum, durum, bilocularem, rarius unilocularem.

FRUCTUS JUNIPERI.

Coni carnosi pisi minoris magnitudine, superne tribus, suturis juncturam partium carnosarum indicantibus notati; recentes nigro-violacei, nitidi; sicci nigri, in parenchymate saporis subdulcis, amari, resinosi, odoris balsamici grati, tria includentes semina ovata, plano-convexa.

Rejiciantur non nigri.

FRUCTUS LAURI.

Fructus (drupæ) siccati oblongo-ovati, obtusi, nigricantes, pisi majoris magnitudine, sub testa tenui et fragili nucleum foventes rubro-fuscum; odoris sunt aromatici, saporis amari, balsamici.

FRUCTUS LEVISTICI.

Fructus oblongi, uno latere plani, altero convexi, margine membranacei, jugis quinque interstincti, pallide fusci, glabri, odoris peculiaris, fortis, aromatici, saporis subdulcis, acris, aromatici.

FRUCTUS MORI NIGRÆ.

Fructus aggregati, ovoïdei, succo saturate rubro repleti, saporis grati. Colligantur ante perfectam maturitatem et rejiciantur mucidi.

FRUCTUS PAPAVERIS ALBI.

Capsulæ globosæ vel oblongæ, majusculæ, recentes glauco-cærulescentes, siccæ rugosæ, flavescentes, pileo stellato ex stigmatis floris formato coronatæ, saporis nauseosi, amari. Colligantur immaturæ.

Capsula papaveris somniferi, seminibus ademptis, pondere grammata quatuor generatim adæquat.

FRUCTUS PHELLANDRII AQUATICI.

Fructus parvi, ovato-oblongi, striati, viridicantes, segmentis calicinis stylisque persistentibus coronati, bipartibiles in carpella duo, uno latere plana, altero convexa, quinque costata, odoris graveolentis, levistici, saporis ingrati, dulciusculi.

FRUCTUS PIPERIS.

Piper nigrum. Baccæ parvæ, immaturæ collectæ.

Piper album. Baccæ maturæ piperis nigri pericarpio liberatæ, rotundæ, læves, albæ, sapore minus acres quam piper nigrum.

FRUCTUS QUEREUS TOSTUM.

Semina matura colliguntur, et a cupulis liberentur, coffeæ instar in cylindro cavo ferreo clauso semper circum agendo torreantur, donec colorem fuscum induerint; tum refrigerata in pulverem crassum redigantur.

FRUCTUS RHAMNI CATHARTICÆ.

Baccæ maturæ subglobosæ, pisi magnitudine, nigricantes, nitidæ, puncto elevato in apice notatæ; quatuor nuclea conjuncta, et succum obscurissime rubro-violaceum, acidis rubescentem, alcalibus autem virescentem, includentes; odoris ingrati, saporis dulcis, subausteri, nauseosi. Adhibentur recentes.

Ne confundantur cum baccis rhamni frangulæ, vel ligustri vulgaris, in quibus duo semina tamtum adsunt.

FRUCTUS RIBESII RUBRI.

Fructus sat noti.

FRUCTUS RUBI IDOEI.

Fructus notissimi.

FRUCTUS SABADILLÆ.

Semina in fructu tricapsulari, membranaceo, oblongo, circiter 15 millim. longo, e flavo-rufescente, ut plurimum inclusa, exigua,

oblonga, in apice truncata, 5 millim. longa, rugosa, incurva, latere uno subplana, altero convexa, margine acuta, extra fusco-nigra, nitida, intus albida, inodora, saporis acerrimi, urentis, ingrate amari.

Caute serventur.

FRUCTUS SAMBUCI.

Fructus seu baccæ maturæ recentes, orbiculatæ, pisi fere magnitudine, nitentes, violaceo-nigræ, umbilico notatæ, uniloculares, in parenchymate acidulo, subdulci, semina foventes minuta tria, ovata, subtrigona.

FRUCTUS VANILLÆ.

Capsulæ siliquiformes, 15 ad 20 centim. longæ, diametro 4 ad 8 millimetra, versus pedunculum et apicem attenuatæ, leviter arcuatæ, longitudinaliter sulcatæ, tactu pingues, coloris ex atro fusci, intus pulpam pinguem, saturato fuscam ac semina numerosa, minima, subrotunda, nigra, splendida continentes, odoris fragrantissimi, benzoïni, saporis grate aromatici.

Elingendæ sunt capsulæ crassiusculæ, pingues, crystallulis acicularibus inspersæ, fragrantissimæ, nitentes. Rejiciantur mucidæ aut saporis acidi. Serventur in vasis bene obturatis.

FULIGO.

Hæc substantia carbonosa ex lignorum combustione caminorum parietibus inferioribus accrescit. Ne assumatur in ejus loco fuligo ex combustione carbonis fossilis prodiens.

Est nigra, friabilis, odoris ingrati, saporis salsi, empyreumatici.

FUMIGATIO CHLORATA.

R. Bi-oxydi manganesii	1	gram.
Aquæ bullientis	2	»
Acidi chlorhydrici	5	»

Misce has substantias in vase vitreo vel figulino.

Quantitates indicatæ sufficiunt pro amplitudine unius metri cubici.

GALBANUM.

Hæc gummi-resina e granis ut plurimum inter se conglutinatis constat, rarius in granis separatis; est extus albo-flavescens, subsplendida, glutinosa, ceræ consistentiæ sed calore manus lentescens, in frigore fragilis, odoris gravis, ingrati, saporis calidi, amariusculi, acris.

Galbanum eo melius est, quo plura continet grana ex albo lutea et semipellucida.

GALLA.

Præstantissimæ sunt Aleppenses aut Turcicæ, nigræ, subrotundæ, ponderosæ, asperitatibus acutis munitæ, intus densæ, non perforatæ aut parum punctæ.

100 partes gallarum 60 ad 70 partes tannini includunt.

GELATINA CARAGAHEEN.

R.	Gelatinæ siccæ caragaheen	320
	Sacchari albi	160
	Aquæ	840

Misce et leniter coque ut spuma in superficie colligatur. Ab igne remove, spumamque satis consistentem abstrahe; dein gelatinam in vas spiritus citri parvam quantitatem continens effunde.

Indicatæ proportiones circiter 1,000 partes gelatinæ comparant.

GELATINA CARAGAHEEN SICCA.

R.	Caragaheen	1,000
	Sacchari albi.	4,000

Caragaheen aqua frigida ablutum per semihoram coque in aquæ quantitate sufficienti; dein fortiter exprime, ac saccharo apposito et dissoluto, miscelam per pannum cola.

Balneo mariæ, inter continuam agitationem, evapora ad consistentiam firmam.

Massam divisam, et in caldario desiccatam, in pulverem vasis bene clausis servandum, redige.

GELATINA HELMINTHOCHORTON.

R.	Fuci Helminthochorton	90
	Caragaheen.	16
	Sacchari	500
	Vini albi	500
	Aquæ	Q. S.

Fucum et caragaheen aqua frigida lota blando igne coque per horam ut sint colaturæ partes circiter 250. Adde vinum et saccharum; liquor aliquantisper ebulliat; dein coletur et evaporetur usque dum concrescat in gelatinam.

Indicatæ proportiones circiter 1,000 gelatinæ partes præbebunt.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI.

R.	Gelatinæ lichenis Islandici siccæ	300
	Sacchari	300
	Aquæ	640

Præpara eodem modo quo gelatinam caragaheen.

Indicatæ proportiones præbebunt circiter 1,000 gelatinæ partes.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI AMARA.

Præparetur eodem modo quo gelatina lichenis, adhibita gelatina lichenis Islandici sicca et amara.

GELATINA LICHENIS ET CHINÆ.

R.	Gelatinæ siccæ lichenis Islandici	300
	Syrupi chinæ flavæ	440
	Aquæ	460

Lege artis præpara ut obtineantur gelatinæ partes 1,000.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI SICCA.

R.	Lichenis Islandici	1,000
	Sacchari	1,000

Lichen cum viginti aquæ partibus vivido calore calefac ad ebul-

litionem; rejecta hac aqua, plantam statim aqua multa ablue, usquedum non amplius sit amara. Deinde per horam lichen coque cum aquæ quantitate sufficiente et fortiter exprime; tandem, apposito saccharo, mixturam per pannum cola statim ac saccharum dissolutum fuerit. Balneo mariæ evapora, interim sine intermissione agitando, ad consistentiam firmem. Massam divisam in caldario desiccatam in pulverem redige et in vitreis rite clausis serva.

GELATINA LICHENIS ISLANDICI SICCA ET AMARA.

R.	Lichenis Islandici	1,000
	Sacchari	1,000

Lichen per horam coque in aquæ quantitate sufficienti, fortiter exprime, dein saccharo apposito operationem perfice sicuti dictum est in articulo :

Gelatina lichenis Islandici Sicca.

GELATINA SAMBUCI.

R. Baccarum Sambuci fere maturarum quantum velis.

Ferveant in lebete, sub agitatione continua, donec disrumpantur; tunc per cribrum colentur et exprimantur. Sume

Hujus succi	1,000
Sacchari	250

Succum in lebete argenteo vel cupreo probe mundato cito evapora donec ad trientem redigatur. Adde saccharum, balneo mariæ perge evaporando ad mellis crassitudinem.

Ut pulchre rubeat gelatina sambuci, exiguæ tantum portiones tractandæ sunt, ignis vim diuturniorem vitandi causa.

GEMMÆ PINI.

Ramulorum summitates terminales, aggregatæ, undique tectæ squamis rubescentibus, imbricatis, linearibus, membranaceis, oleo-resinam exsudantes glutinosam. Colligantur primo vere cœlo sereno, et in vasis optime clausis serventur.

GEMMÆ POPULI.

Gemmæ populi foliiferæ colligantur tempore verno. Eligantur bene nutritæ.

Gemmæ ex flavo virides, et succo qui quamdiu sunt recentes glutinosum se exhibet turgidæ.

GLYCERINA.

Liquidum syrupi spissitudinis, limpidum, coloris et odoris expers, saporis dulcis aperte saccharati, neque dein ingrati, ponderis specifici 1.24.

In aquæ et alcoholis quacumque quantitate solvitur, non vero solvitur in æthere, neque in chloroformio, neque in oleis pinguibus.

Chartas reactivas non mutat; solutio autem aquosa non coloratur sulpho-hydrate ammonico, neque turbatur chlorureto barytico, nec nitrate argentico, nec oxalate ammonico.

Glycerina, si calefiat balneo mariæ cum aliquot acidi sulphurici concentrati guttis, nigrum colorem non induit, neque fuscescit si coquatur cum potassæ causticæ tertia sui voluminis parte, neque rubescit si miscelæ alcalinæ apponatur sulphas cupri.

Ardenter calefacta in aere, ex toto comburitur et sine residuo avolat.

GLYCERINUM ACIDI TANNICI.

R. Tannini pulverati.	166
Glycerini amyli	834
	1,000

Misce.

GLYCERINUM AMYLI.

R. Glycerinæ	940
Amyli pulverati	60
	1,000

Misce et leni calore sub continua agitatione calefac donec massa in gelatinam concreverit.

GLYCERINUM EXTRACTI BELLADONÆ.

R.	Extracti belladonæ	100
	Glycerini amyli	900
		1,000

Extractum emolliatur cum parva aquæ quantitate, dein ipsi injiciatur glycerinum.

Eodem modo præparentur glycerina cœterorum extractorum.

GLYCERINUM IODURETI POTASSII.

R.	Iodureti potassici	100
	Aquæ	100
	Glycerini amyli	800
		1,000

Iodureto in aqua dissoluto immisce glycerinum.

GLYCERINUM TANNATIS PLUMBI.

R.	Corticis quercus concisi	1,250
	Aquæ destillatæ	6,000

Balneo mariæ per duas horas calefac et cola.

Huic colaturæ paulatim et sub continua agitatione apponantur :

Sub-acetatis plumbici liquidi	600

Sepone ut subsidat, præcipitatumque in linteo strictioris texturæ collectum leviter exprime.

Deinde sume :

Hujus præcipitati humidi	600
Glycerini amyli	400
	1,000

Misce et serva in loco frigido.

GRANULA CUM 1 MILLIGRAMMATE ACIDI ARSENIOSI.

Acidi arseniosi in pulverem intactilem redacti	10 centigr.
Sacchari	5 gram.
Gummi tragacanthæ	6 centigr.
Aquæ destillatæ	Q. S.

Quibus conficiatur massa pilularis, in centum granula, quæ saccharo in volvi debent, dividenda.

Eodem modo præparentur :

Granula cum	1	milligrammate	aconitinæ.
Id.	1	id.	digitalinæ.
Id.	1	id.	strychninæ.
Id.	1	id.	atropinæ.

Et, in genere, omnia granula unum milligramma substantiæ activæ comprehendentia.

GRANULA CUM 1 CENTIGRAMMATE ACIDI ARSENIOSI.

Acidi arseniosi in pulverem impalpabilem redacti	1 gram.
Sacchari	5 id.
Carmini.	5 centigr.
Gummi tragacanthæ	6 id.
Aquæ destillatæ	Q. S.

Conficiatur massa pilularis in 100 granula dividenda, granulaque in saccharo colore roseo ope carmini induto volvantur.

Eodem modo præparentur :

Granula a medico præscripta cum uno centigrammate substantiæ activæ.

GUMMI ARABICUM.

Gummi arabicum in frustulis adfertur globosis vel ovatis, variæ magnitudinis, siccis, albicantibus aut albo-flavescentibus, nitentibus, semipellucidis, fracturæ conchoïdeæ, odoris nullius, saporis fatui ac mucilaginosi, aqua maxime solubilibus.

Gummi Senegalense, fere omnino gummi arabico simile, in frustulis prostat durioribus, flavescentibus aut fuscis, vix pellucidis, et in aqua frigida non plane solubilibus.

GUMMI GUTTÆ.

Gummi resina guttæ prostat in placentis vel frustis polymorphis, solidis, fragilibus, coloris e luteo rufescentis, fracturæ conchoïdeæ

nitentis, in margine frustulorum subpellucidis, pulverem pulchre aureum præbentibus, odoris nullius, saporis primum debilis, dein subdulcis et subacris.

GUMMI TRAGACANTHÆ.

Gummi tragacanthæ bonæ notæ vel in frustulis elongatis occurrit, tenuibus, filiformibus, multifarie contortis, vel latioribus et applanatis; album ceteroquin, subdiaphanum, tenax, leve, inodorum, in aqua ad mucilaginem spissam intumescens. Rejiciendum est flavum vel fuscum.

GUTTÆ AMARÆ BAUMÉ.

R.	Rasuræ fabarum S^{ti}-Ignatii	500
	Carbonatis potassici	5
	Fuliginis	1
	Alcoholis 60°	1,000

Per octiduum macera, dein exprime et filtra.
Caute servetur.

HELMINTOCHORTON.

Helmintochorton massam implicatam, fusco-rufam, corollinæ officinalis algarumque heterogenearum ramis seu filis commixtam, sistit. Removeantur conchylia et lapides sæpius immixti.

HERBA ABSINTHII.

Herba, foliis decompositis, utrinque cano-sericeis, inferioribus bipinnatifidis, summis pinnatifidis indivisisque, florum capitulis subglobosis, luteis, unilateralibus, in racemos foliatos et paniculatos juxta ramos caulis superiores dispositis.

Folia æque ac flores sub efflorescentiæ initio colligendi, odoris gravis, aromatici, saporis intense amari, acris. Rejiciantur partes caulis duriores.

Ne confundas cum *artemisia vulgari* L., cujus folia superne saturate viridia, subtus albo-tomentosa et minore amaritie prædita.

HERBA BASILICI.

Planta caule subtetragono, pubescente, ramoso; foliis petiolatis, ovato-lanceolatis, in margine subserratis, glabris, subtus punctatis; floribus in formam spicæ in summitate ramorum dispositis, verticillatis, corollis albidis aut rubellis. Tota planta odoris fragrantissimi, aromatici, suaveolentis.

Colligitur herba florens.

HERBA BORRAGINIS.

Herba foliis radicalibus longe petiolatis, ovatis, obtusis, ciliatis, utrinque hispidis, caulinaribus sessilibus, subdecurrentibus, ovato-lanceolatis. Odoris sunt fere nullius, saporis similis.

Flores, caulem ramosque terminantes, in racemos unilaterales, scirpoïdeos et bipartitos congesti, corolla cœrulea, rotata, quinquepartita, odoris et saporis vix ullius.

Herba florens adhibeatur.

HERBA CANNABIS INDICÆ.

Femellæ in India orientali collectæ, et a qua ablata non sit resina, adhibentur summitates florentes.

Venales sistuntur sub forma massarum compressarum, constantis ex foliis, floribus femineis, et caulibus coloris ex viridi fuscescentis, tactu resinosis, odoris proprii.

Folia profunde incisa, laciniis palmatis, dentatis, acutis.

HERBA CAPILLI VENERIS.

Herba, frondibus in stipite lævi, nigrescente, bipinnatis, pinnulis cuneatis, apice rotundatis, lobatis, saporis subadstringentis, subaromatici.

Ne confundatur cum adianto pedato L., nec cum asplenio adianto nigro L.

HERBA CARDUI BENEDICTI.

Herba foliis alternis, semi-decurrentibus, oblongis, margine sinuatis, denticulato-spinosis, hirsutis. Planta recens odorem spirat ingratum, siccando evanescentem; saporis est amari, subsalsi.

Sit herba siccata viridis, rejiciantur stipites florumque capitula.

HERBA CENTAURII MINORIS.

Folia in caule angulato, superne ramoso, opposita; inferiora ovalia, obtusa; superiora oblongo-acuminata, integerrima, glabra, læte viridia; flores amœne rubelli, terminales, in cymos dispositi. Planta tota inodora, amarissima.

Adhibetur herba florens.

HERBA CHAMÆDRIS.

Folia in caule quadrangulo, pubescente, parva, ovato-oblonga, obtusa, margine crenata, breviter petiolata, superne nitentia et læte viridia, inferne pallidiora, subpubescentia, odoris subaromatici, saporis amari, adstringentis. Flores sunt axillares, purpurascentes.

Adhibetur herba florens.

HERBA CHELIDONII MAJORIS.

Herba, foliis alternis, petiolatis, pinnatifidis, lobis obtusis, crenato-incisis, supra glabris, subtus pubescentibus, e flavo viridibus; floribus flavis, pedunculatis, umbellatis. Tota planta recens odoris gravis, latice croceo, acri et amaro turget.

Colligatur planta subflorida.

HERBA CHENOPODII.

Folia in caule ramoso alterna, subsessilia, lanceolata, dentata, glabra; flores in racemis axillaribus terminalibusque parvi, globosi, virides. Tota planta odoris est aromatici, gravis, saporis camphoracei, calidi, amari.

HERBA COCHLEARIÆ.

Folia in caule subangulato, ramoso, alterna, glabra, succosa; radicalia cordato-obtusa, petiolata; caulinariasessilia, ovato-oblonga, subsinuata. Flores albi, pedunculati, in corymbum terminalem dis positi. Herba saporis acris, subamari.

Adhibetur herba recens florifera.

HERBA ERYSIMI.

Herba caule ramoso, cylindrico, pubescente; foliis alternis, pubescentibus, inferioribus runcinatis, summis minoribus, subpetiolatis, hastatis et dentatis; odoris levis, saporis herbacei, subacris. Flores parvi, flavi, subsessiles, in racemos spicatos terminales digesti.

HERBA FUMARIÆ.

Herba foliis alternis, bipinnatis, foliolis trilobatis, angustatis, cuneiformibus, mollibus; odoris nullius, saporis amari, salsi, subacris.

Flores sunt parvi, pedunculati, in racemos spicatos dispositi, corolla irregulari calcarata, rubella, sepalisque basi corollæ angustioribus.

Adhibetur herba florens.

HERBA HEDERÆ TERRESTRIS.

Folia in caule tenui, simplici, quadrangulari, opposita, petiolata, cordato-reniformia, rotunda, glabra, subtus haud raro rubella, odoris subaromatici, fricata dum recentia sunt, intensioris, saporis amari.

Flores, in axilla foliorum nascentes, constanter pedunculati, violacei.

Adhibetur herba florens.

HERBA HYSSOPI.

Folia in caule tetragono opposita, subsessilia, lanceolata, acuta, integerrima, saturate viridia, subpilosa, sursum glabra, subtus punctata, margine minutissime ciliata, odoris fragrantis, grati, saporis calidi, aromatici, amari.

Flores cœrulei vel albi, in cymos axillares ex una tantum caulis parte digesti.

Adhibetur herba florens.

HERBA LACTUCÆ.

Folia in caule lævi erecta, oblonga vel rotundata, carina media non aculeata.

Adhibetur herba florifera recens.

HERBA LOBELIÆ INFLATÆ.

Herba caule superne ramoso, foliis ovalibus, irregulariter dentatis, rugosis, glabriusculis, inodoris, saporis acris, pungentis. Flores sunt parvi, breviter pedicellati, pallide violacei, axillares et in racemos spicatos, terminales, digesti.

Adhibetur herba florens.

HERBA MARJORANÆ.

Folia in caule tetragono, pubescente, ramoso, et in ramis conformibus, parva, opposita, ovalia, obtusa, subtomentosa, integerrima, brevi-petiolata, ex albo viridia, odoris fortis, saporis aromatici, subacris, amaricantis. Flores albi, in spiculas ternatas, sessiles, subglobosas, congesti.

Adhibetur herba florens.

HERBA MARRUBII.

Herba in caule ramoso, inferne lanuginoso, albido, folia offerens opposita, petiolata, ovato-rutunda, incano-villosa, crenata, odoris aromatici, tritu aucti, saporis calidi, amari.

HERBA MATRICARIÆ.

Folia in caule glabro petiolata, composita, plana, foliolis ovalibus, incisis et dentatis. Flores sunt radiantes et albi.

HERBA MERCURIALIS.

Herba in caule ramoso, glabro, folia offerens opposita, petiolata, ovato-lanceolata, acuta, serrato-dentata, brevissime ciliata, glabra, læte viridia. Flores parvi, axillares, e flavescenti virides, masculis pedunculatis, spicatis, fœmineis subsessilibus, solitariis. Folia recentia odoris ingrati, subvirosi, saporis salsi et amari.

HERBA MILLEFOLII.

Herba, caule cylindrico, lanuginoso, superne ramoso; foliis sessilibus, inferioribus bipinnatis, lanceolatis, laciniis linearibus, dentatis,

subtus lanuginosis. Flores sunt densi, in corymbum dispositi, albi aut rubelli. Hujus plantæ odor debilis, haud gratus, aromaticus, sapor amaricans, subadstringens.

Adhibetur herba florens.

HERBA NASTURTII AQUATICI.

Herba caule ramoso, cylindrico, glabro; foliis alternis, sessilibus, impari pinnatis, foliolis oppositis, ovatis, crassis, glabris, læte viridibus; saporis subacris, amaricantis, odoris, dum teritur, pungentis.

Adhibetur herba recens.

HERBA NEPETÆ.

Herba, foliis petiolatis, cordiformibus, dentato-serratis, pubescentibus; floribus fasciculatis, in spicam terminalem dispositis, corolla albida aut rubella. Hujus plantæ odor gratus, menthaceus, sapor aromatico-camphoraceus, amarus.

HERBA ORIGANI.

Folia in caule obsolete tetragono, rufescente, superne ramoso opposita, petiolata, ovata, subtus subpubescentia.

Flores in spicas corymbosas insummitate caulis dispositi, corollis pallide purpureis, rarius albidis.

Adhibetur herba florens.

HERBA PARIETARIÆ.

Herba, caule cylindrico, ramoso, subpiloso, carnoso, rubescente, foliis alternis, petiolatis, ovatis, acuminatis, integerrimis, pubescentibus, asperis, saturate viridibus; floribus parvis, axillaribus, apetalis, incano-viridibus.

Planta inodora, saporis subsalsi, amari, adstringentis.

HERBA POLYGALÆ AMARÆ.

Hujus plantæ radix est tenuis, fibrosa, nodosa, in radicellis inferne divisa densis, rigidis, subluteis; foliis inferioribus obtusis, spatulatis; superioribus sessilibus, angustis, lanceolatis, acutis. Flores in

racemum terminalem dispositi, cœrulei aut albicantes. Tota planta fere inodora, peramara.

Colligatur ante florum evolutionem.

Adhibetur tota planta.

HERBA PULSATILLÆ.

Herba, caule tereti, superne ramoso, pubescente; foliis radicalibus, petiolatis, pilosis, pinnatifidis, laciniis angustis, linearibus, acutis, quodammodo subulatis. Flos solitarius, longe pedunculatus, cum sepalis sex reflexis, extus sericeis, intus cyaneis. Odor hujus plantæ vix ullus, sapor acer et urens.

Caute serva in vitris clausis.

HERBA SCORDII.

Herba, caule quadrangulo, geniculato, pubescente; foliis oppositis, subsessilibus, ovato-oblongis, basi angustioribus, crenatis, subasperis, superne viridibus, subtus albicantibus, pubescentibus, odoris gravis, alliacei, saporis gravis et amari.

HERBA SERPYLLI.

Folia in caule basi lignoso, pubescente, ramoso opposita, parva, subsessilia, ovata, obtusa, glabra, basi ciliata. Flores in spicis terminalibus vel lateralibus brevibus verticillatodispositi, cum corollis roseis, calycibus paulo longioribus.

Hujus plantæ odor fragrans, gratus, sapor aromaticus.

Adhibetur herba florens.

HERBA SPIGELIÆ.

Herba, radice tenui, fibrosa; caule subtereti; foliis ovatoacuminatis, subhirsutulis, integris, inferne cœruleo-viridibus, summis quaternis, in formam crucis dispositis, fere inodoris, saporis fatui, subamari.

Adhibetur planta tota.

Sæpius præscribitur spigelia marylandica, minus activa, quam spigelia anthelmia seu officinalis, et dignoscenda caule tetragono, foliis omnibus oppositis.

HERBA TARAXACI.

Herba foliis radicalibus, runcinatis, glabris, lobis acutis et dentatis, saporis herbacei, amari.

HERBA THYMI.

Folia in caule ramoso, tenui, fere cylindrico, opposita, exigua, brevissime petiolata, ovato-oblonga, margine revoluta, glabra, subtus albido-grisea, utrinque punctata; floribus terminalibus, spicatis, albis aut purpureis; saporis aromatici et calidi, odoris balsamici, gravis, grati.

Adhibetur herba florens.

HERBA TRIFOLII FIBRINI.

Herba, caule articulato, ramoso; foliis alternis, longe petiolatis, basi vaginantibus, ternatis, foliolis ovatis, glabris, obtusis, margine undulatis, læte viridibus, odoris fere nullius, saporis amari.

HERBA VERONICÆ BECCABUNGÆ.

Herba in caule herbaceo, tereti, ramoso, folia præbens opposita, plana, oblongo-ovata, crenata, glabra, nitentia, carnosa, mollia; flores spicati, axillares, pedicellati, dilute violacei. Tota planta vix odorata, saporis amaricantis, adstringentis.

Adhibetur herba recens.

HERBA VERONICÆ OFFICINALIS.

Herba, caule herbaceo, tereti, subsimplici, geniculato, pubescente; foliis ad genicula oppositis, ovatis, obtusis, basi attenuatis, dentato-serratis, mollibus, pubescentibus, dilute viridibus; floribus spicatis, pedunculatis, corolla rotata, cœrulea, interdum albida, venis purpureis percursa. Planta recens odoris balsamici debilis, saporis amaricantis, adstringentis.

Adhibetur herba florens.

HERBA VIOLÆ TRICOLORIS.

Folia in caule triquetro, petiolata, ovato-oblonga, obtusa, inciso-crenata, in basi stipulis pinnatifidis munita. Flores quinquepetali, corolla violacei, albi flavique coloris. Tota planta odoris herbacei, saporis subdulcis, subamari.

Adhibetur herba florens.

HIRUDO.

Hirudo, corpore subcylindrico, lubrico, annulato, antrorsum attenuato, in dorsum convexo, subtus plano, capite obtuso, ore dentibus tribus parvis, acutissimis munito, dorso atro-fusco, vel sæpius olivaceo, lineis quatuor longitudinalibus utrinque picto, quarum prima dorsalis coloris rubiginis, altera ex rufo flavescens seu virescens, nigro-maculata, tertia nigra, tenuis et fere a præcedente non distincta, quarta seu marginalis lutea ; ventre ex flavo virescente seu olivaceo, maculis nigris variegato.

HYDRARGYRUM.

Metallum liquidum, album, splendidissimum, ponderis specifici 13,59 colore 350° ebullit et sine residuo exstillat; plane solvitur in acido nitrico excedente; solutio ad siccitatem evaporata sedimentum relinquit calcinatione rubescens, et alto calore perfecte evanescens.

Superficies hydrargyri sit mundissima et splendidissima. Globulus super chartam papyri currens conservat formam sphæricam.

HYDRAS CHLORALI.

Crystalli aciculares, albæ, odoris proprii, saporis acris, in aqua et in alcohole valde solubiles, hygrometricæ. Solutione aquosa non rubrescit charta exploratoria neque præcipitatur nitras argenticus.

Non nigrescit acidum sulphuricum concentratum cum his crystallis calefactum.

Harum crystallorum 10 grammata cum 6 grammatis potassæ causticæ et cum 50 centimetris cubicis aquæ commixta præbent 4,17 cent. cubica chloroformi.

Hydras chlorali 46° liquescit, calore 98° ebullit, et sine residuo avolat.

Servetur in vasis clausis, loco obscuro.

HYDRAS MAGNESIÆ.

R.	Magnesiæ calcinatæ	1
	Aquæ destillatæ	20

Magnesiam in aqua destillata dilutam coque per 20 minuta. Deinde in linteum strictioris texturæ effusam exstilla, exprime et exsicca calore qui non excedat 50°, donec nihil amplius sui ponderis deperdat. Tandem in pulverem subtilem redige.

Centum partes hydratis magnesiæ continent 31 aquæ partes.

Servetur in vase clauso.

HYPOCHLORIS CALCII.

Pulvis formæ nullius, albus, debilem chlori odorem spargens, aere humescens.

In aqua imperfecte, cum residuo calcis hydratæ, solvitur.

Unum kilogramma hypochloritis calcii præbeat sub temperatura 0° et sub pressione 760^{mm}, saltem 100 litra chlori, seu 100 partes hypochloritis calcii contineant, quoad pondus, 31.77 partes chlori activi.

Hoc in casu, 10 grammata hypochloritis calcii, contrita cum 24.9 grammatis sulphatis ferrosi crystallisati et cum aquæ quantitate sufficiente, præbeant, modo superaddatur acidum sulphuricum dilutum donec reactio acida fiat, liquorem non amplius ferri-cyanureto potassii cœrulescentem. Ceterum ipsius vis chlorometrica modis cognitis dignoscitur.

Servetur in vasis clausis, loco obscuro.

HYPOCHLORIS CALCII LIQUIDUS.

R.	Hypochloritis calcii	22
	Aquæ	1,000

Hypochloritem in mortario porcellaneo cum parva quantitate aquæ trituretur ; cum rite fuerit divisus, decanthatione separentur

partes tenuiores ; sedimentum trituratum, nova aquæ quantitate dilutum iterum decanthetur, et ita porro, usquedum hypochloris perfecte sit divisus totaque aqua præscripta fuerit adhibita ; liquores misce, filtra et in vasis probe claudendis, loco frigido et obscuro collocandis serva. Solutio ista duplum chlori volumen contineat.

HYPOCHLORIS SODII LIQUIDUS.

R.	Hypochloritis calcii	22
	Carbonatis sodici crystallisati . . .	44
	Aquæ	1,000

Hypochloritem cum duabus tertiis partibus aquæ præscriptæ dilue, eodem modo procedendo quo dictum fuit pro præparando hypochlorite calcii liquido. Carbonatem sodicum in aquæ tertia remanente parte solve ; duas solutiones commixtas sepone ad subsidendum et filtra ; in vasis serva probe clausis, et in loco frigido et obscuro collocandis.

Solutio haec duo volumina chlori contineat.

HYPOPHOSPHIS CALCII.

Pulvis grumosus, albus, odoris expers ; seu crystalli prismaticæ rectangulæ tetragonæ, splendore margaritaceo præditæ, valde flexibiles, in aere immutabiles, in 6 aquæ partibus perfecte solubiles, in alcohole non solubiles.

Si calefiat, hypophosphis calcii cum strepitu vehementi decomponitur interim spargendo hydrogenium phosphoratum in aere sponte flagrans.

Solutio aquosa aqua calcis non præcipitatur, cum nitrate argentico præcipitatum præstat album cito fuscescens et tandem nigrescens.

HYPOPHOSPHIS SODII.

Pulvis albus, grumosus ; in tabellas nitore margaritaceo insignes, deliquescentes, in aqua valde solubiles et etiam in alcohole rectificato solubiles crystallisatur. Calefactus emittit hydrogenium phosphoratum aere sponte flagrans.

Solutio aquosa chartam exploratoriam rubram cœruleo colore afficit, cum acidis non fervescit nec turbatur chlorureto calcico.

Cum nitrate argenti præbet præcipitatum album sine mora fuscescens et deinde nigrescens.

HYPOSULPHIS SODII.

Sal coloris expers, inodorus, pellucidus, in aere immutabilis, præbens crystallos prismaticas rhomboïdeas obliquas; 100 salis partes continent partes 36.29 aquæ crystallisationis.

In aqua facillime, non autem in alcohole solvitur.

Solutio aquosa non fervescit cum acido acetico, nec turbatur chlorureto barytico.

Hæc solutio, si apponatur acidum chlorhydricum, post breve tempus sulphur præcipitat acidumque sulphurosum emittit.

Una pars hyposulphitis sodii soluta, cum 2 aquæ partibus commixta, dimidiam saltem iodi partem dissolvit liquorem præbendo coloris expertem, limpidum, chartas exploratorias non mutantem.

ICHTHYOCOLLA.

Substantia hæc venalis prostat sub forma membranarum planarum vel in spiras contortarum, albarum, diaphanarum, tenacium, odoris et saporis expertium, in aqua fervida, in acido acetico et in spiritu vini aqua diluto penitus fere solubilium; solutio aquosa refrigerata gelatinam exhibet.

INFUSA.

1° Materiæ medicatæ infusioni submittendæ convenienter sint divisæ.

2° Deficiente speciali indicatione, superaddatur aquæ destillatæ fervidæ quantitas præscripta, miscelaque per horæ sextam partem balneo vaporis calefiat. Mixtura colabitur cum expressione; quod, si insint partes volatiles, non fiet antequam refrixerit.

3° Si non sit indicata medicamenti quantitas, pharmacopola generatim sumat, ad obtinendas 1,000 partes colaturæ, partes 15 florum vel foliorum, 30 autem partes radicis, ligni vel corticis.

Si petatur infusum *concentratum*, prædictæ quantitatis duplum

assumetur, et si petatur *concentratissimum,* assumetur quadruplum.

Præscripta nullatenus valent pro medicamentis narcoticis aut heroicis, quorum quantitas a medico semper accurate indicanda est.

INFUSUM RHEI.

R. Rhei concisi 75
Aquæ . . . . 1,100 s. Q. S.

Post macerationem per horam, calefac ad 90°, liquoremque paulo refrigeratum cola ut sint infusi partes 1,000.

INFUSUM RHEI ALCALINUM.

R. Rhei concisi 100
Carbonatis potassæ 20
Aquæ . . . . 1,150 s. Q. S.

Macera per horam, tum calefac ad 90°; liquorem semirefrigeratum cola ut sint infusi. 997

Adde

Alcoholeti menthæ crispæ 3
1,000

INFUSUM SENNÆ.

R. Foliorum sennæ 100
Aquæ . . . . 1,150 s. Q. S.

Macera per horam et calefac lente usque ad ebullitionem, dein liquorem fervidum cola, leviter exprimando, ut sint infusi partes 1,000.

IODOFORMIUM.

Crystalli squammiformes nitoris margaritacei, coloris lutei similis colori sulphuris, odoris penetrantis, crocei, aqua insolubiles, alcoholis autem frigidi 10 partibus et ætheris 20 partibus solubiles.

Calore 115-120 liquescunt; calore autem majore altera pars avolat quin immutetur, altera decomponitur gas acidum iodhydricum vaporesque iodi emittendo : remanet sedimentum carbonis incineratione plane evanescens.

IODUM.

Squamulæ griseo-nigræ, splendentes, odoris ingrati, saporis acris, metallici, igne sub forma vaporis pulchri violacei plane avolantes.

Alcohole et solutione hyposulphitis sodici sit ex toto solubile.

IODURETUM FERRI.

R.	Fili ferrei concisi.	1
	Iodi.	4
	Aquæ destillatæ	5

Has substantias in lagenam immissas moderato igne calefac usquedum solutio colorem virescentem induat. Cola filtrumque aqua destillata lava.

Hæc præparatio fit ex tempore ut substantiis a medico præriptis addatur.

Duæ iodi partes tribus iodureti ferrosi crystallisati partibus respondent.

Si ioduretum immiscendum sit massæ pilulari, solutio celeriter evaporetur, curando ut eidem aliquot ferri laminæ immittantur; concentrationi finis imponatur statim ac gutta liquoris in substantia frigida concrescat.

PROTO-IODURETUM HYDRARGYRI.

Hydrargyri	8
Iodi	5

Hydrargyrum et iodum, cum alcoholis rectificati ea quantitate commixta ut exinde massa oriatur subliquida, continuo terantur, donec hydrargyrum omnino evanuerit. Quæ teritur massa parva sit et alcohole semper madida, ne incalescat flammamque concipiat. Ioduretum alcohole fervido probe ablutum ut depellatur omne bi-ioduretum, in caldario obscuro celeriter sicca. Caute servetur in vasis clausis a luce remotis.

Sit pulvis tenuis, e flavo viridis, in aqua et alcohole non solubilis, calore alto ex toto volatilis. Aqua calida cum eo permixta et dein filtrata neutra sit, nec chlorureto sodico præcipitatum album præbeat.

Lucis influxu nigrescit et resolvitur. Ne contineat ioduretum hydrargyricum, quod dignoscetur si solutio ebullitione iodureti hydrargyrosi cum suo alcoholis volumine vicies multiplicato obtenta, vix acido sulpho-hydrico coloretur.

DEUTO-IODURETUM HYDRARGYRI.

R.	Chlorureti hydrargyrici	4
	Iodureti potassici.	5

Seorsim solvantur chloruretum in 20, ioduretum vero in 4 aquæ distillatæ fervidæ partibus.

Solutiones adhuc calentes intime misceantur. Post refrigerationem separetur liquidum, et præcipitatum in filtro receptum et aqua destillata frigida ablutum leni calore siccetur et in loco obscuro caute servetur.

Pulvis splendide ruber, calore alto plane volatilis, non aqua sed alcohole fervido et liquore iodureti potassici solubilis.

In aqua calida dilutus et deinde filtratus liquore potassæ causticæ præcipitatum flavum non efficit.

IODURETUM PLUMBI.

R.	Iodureti potassici	8
	Acetatis plumbici.	9
	Aquæ destillatæ	80
	Acidi acetici aliquot guttæ.	

Utrumque salem seorsim dissolve in 40 partibus aquæ; solutioni acetatis plumbici appone aliquot acidi acetici guttas; dein solutiones filtratas inter continuam agitationem commisce. Sepone ut efficiatur præcipitatum quod lava et leni calore sicca.

Pulvis flavus, calore rubescens, in alcohole insolubilis, in aqua ferventi parum solubilis, in qua aqua solutus, sub forma paleolarum micacearum refrigeratione crystallisatur.

In potassæ causticæ solutione dissolvitur absque immutatione coloris.

IODURETUM POTASSII.

Crystalli cubicæ, coloris et odoris expertes, in aere sicco immutabiles, sed in aere humido facile madescentes.

Ioduretum potassii solvitur in tribus quartis partibus sui ponderis aquæ frigidæ, et in minus quam dimidio aquæ fervidæ; solubile est in alcoholis fervidi partibus sex. Solutio aquosa est neutra et non turbatur neque aqua calcis, neque chlorureto barytico; non statim flavescit acido sulphurico diluto.

Præcipitatum in solutione nitratis argentici excedentis effectum, probe ablutum, dein cum ammonia concussum et filtratum, liquorem præbet qui, post additionem acidi nitrici excedentis levissime potest turbari, præcipitatum vero non gignit.

Solutio iodureti potassici, cum sulphate cupri excedente, si commixta in ipsam immitatur gas sulphurosum, præbet, post filtrationem liquorem qui, superaddita aqua chlorata, ætherem colore ex flavo rubescente non afficit.

Unum gramma iodureti potassici decomponat 59-60 cc. solutionis normalis decimæ nitratis argentici.

IODURETUM SULPHURIS.

R.	Iodi	4
	Sulphuris abluti	1

In mortario porcellaneo bene contrita, balneo mariæ colliquentur in laguncula angustiori, cujus tantum septem octavæ partes sunt implendæ et quæ cono chartaceo est claudenda. Iodum in collo lagenæ sublimatum igne caute liquetur ut fundum rursus petat. Denique, laguncula refrigerata, massa auferatur et in vitro bene clauso servetur.

Sit massa cinereo-nigra, splendens, iodi vapores exhalans; igne resolvitur. Aqua bullienti nec non alcohole iodum separatur.

KERMES MINERALE.

R.	Carbonatis sodici crystallisati	20
	Pulveris subtilissimi sulphureti antimoniosi.	1
	Aquæ destillatæ	200

Carbonatem sodicum cum aqua in lebete ferreo mundissimo calefac ad ebullitionem; solutioni ebullienti paulatim appone sulphuretum antimoniosum, et coque per horam frequenter agitando. Solutionem fervidam cola in vas calefactum et tantum fere aquæ bullientis continens quantum durante præparatione avolaverit. Filtratione peracta, vas obtectum seponatur et quam lentissime refrigescat.

Pulverem rubrum refrigeratione præcipitatum colando collige; cum aqua destillata frigida, donec hæc saporis expers transeat, ablue; inter chartam bibulam preme; in loco obscuro, temperatura 25° non excedente, sicca; cribro sericeo succerne ac in vitro sicco, probe claudendo et a luce secluso, serva.

Sit pulvis levis, purpureo-fuscus, splendoris proprii velutini, fere intactilis, odoris et saporis expers, in aqua et in ammonia insolubilis, hanc nullo colore afficiens, in sulphohydrate ammonico et in acido chlorhydrico calefacto ex toto solubilis. In tubo vitreo calefactus aquam edit, et residuum nigrum relinquit.

KERMES MINERALE COMMUNE.

℞.	Sulphureti antimoniosi	4
	Carbonatis potassici	6
	Sulphuris	1

In pulverem tenuem redacta et probe commixta funde in crucibulo, igne moderato, materiamque liquefactam, in catinum ferreum effusam, protinus in pulverem tere et in

Aquæ bullientis 50

immitte; coque per quadrantem horæ, continue agitans; parum jam quiescat liquor et fervidissimus per linteum charta tenui bibula obtectum, coletur.

Refrigerato liquore, pulverem rubicundum qui ad fundum subsidit, ope filtri chartacei separa.

Materiem, a priori operatione residuam, denuo eadem ratione coque et filtra ut refrigeratione novum kermes sedimentum obtineatur, hocque tamdiu repete, quamdiu pulverem rubicundum insigni copia refrigeratus liquor demittat.

Præcipitata jam omnia probe mixta aquæ frigidæ repetita affusione ablue, et lenissimo calore sicca.

N. B. Kermes hoc nonnisi in usum medicinæ veterinariæ dispenset pharmacopola.

KINO.

Constat ex frustulis parvis, duris, opacis, nitidis, rubro-fuscis, margine subdiaphanis, odoris nullius, saporis adstringentis, salivam rubro-violaceo colore tingentibus.

In aqua frigida fere dimidia pars, in fervida fere totum solvitur, æque ac in alcohole, quocum solutionem coloris sanguinei exhibet.

Solutio aquosa cum chlorureto ferrico colore atro-viridi tingitur.

Ne cum sanguine draconis, in aqua non solubili, neque cum cathecu salivam rubro-violaceo colore non tingene, sit inquinatus.

KREOSOTUM.

Liquor oleosus e pice liquida ligni fagi elicitus. Sit coloris expers vel leviter rufescens, limpidus, odoris proprii gravissimi, saporis acris, empyreumatici. Facile solvitur in alcohole, in æthere, in materiis pinguibus et in potassa caustica.

Solvitur in aquæ 80 partibus, et in aquæ calidæ 24 partibus; non solvitur in ammonia.

Solutionem potassicam aqua non præcipitat. Solutio aquosa chlorureto ferrico non cœrulescit.

Ebullit temperatura 203°; pondus specificum 1.067.

Collodium non coagulat.

LACTAS FERRI.

Massa seu pulvis crystallinus, albus, leviter virescens, in 46 partibus aquæ frigidæ et in 12 partibus aquæ bullientis solubilis.

Solutio filtrata est subviridis nec chloruretum baryticum præcipitat; si huic solutioni addatur solutio sodæ causticæ excedens, si insuper filtretur et immisceatur solutioni sulphatis cuprici qua colorem cœruleum assumat, solutio lactatis ad ebullitionem calefacta non efficit præcipitatum rubrum.

Sal iste igne rubescens in cochleari platineo candescit nec tumescit, et pulvis port incinerationem relictus chartæ affrictus colorem læte rubrum assumit.

LACTAS MAGNESIÆ.

R.	Lactatis ferri	100
	Magnesiæ calcinatæ	15
	Aquæ destillatæ	2,000

Lactatem ferri in pulverem subtilem redactum magnesiæ appone, aqua dein affusa, miscelam coque donec solutio non amplius contineat salem ferrosum, et tandem filtra.

Liquori apponatur carbo ossium; dein coquatur donec evanuerit pars dimidia, filtretur et balneo mariæ evaporetur ad pelliculam insignem et refrigeratione crystallisetur. Aquæ matrices concentrentur ut novæ crystalli obtineantur, salque leni calore siccetur.

Massa crystallina, seu crystalli parvæ prismaticæ, albæ, odoris et fere etiam saporis expertes, in aere immutabiles, in 30 partibus aquæ frigidæ sed in minore quantitate aquæ calidæ solubiles; in alcohole non solvuntur. Solutio hujus salis est neutra, chloruretum baryticum et sulpho-hydratem ammonicum non mutans.

LACTAS SODÆ.

R.	Lactatis ferrosi	100
	Carbonatis sodici anhydri	37
	Aquæ destillatæ	2,000

Lactati ferroso in pulverem tenuem redacto appone carbonatem sodicum et aquam, miscelam coque quamdiu in liquore continetur sal ferrosus, et filtra.

Liquori adde carbonem ossium, eumque coque donec evanuerit pars dimidia; deinde filtra et balneo mariæ evapora ad consistentiam mellis tenacis. Serva in vase clauso.

Massa subflava, hygrometrica, inodora, saporis salini, in aqua et in alcohole solubilis.

Solutio aquosa est neutra; chloruretum baryticum et sulpho-hydratem ammonicum non mutat.

LACTAS ZINCI.

Pulvis albus; crystallisatur in crystallos aciculares seu lamellares, coloris expertes, splendentes, in 6 partibus aquæ fervidæ et in 58 partibus aquæ frigidæ solubiles, in alcohole fere insolubiles. Calore 100° celeriter ex 100 partibus aquæ crystallisationis 18, amittit, posteaque calore 210° nullam patitur immutationem.

Lactas zinci acido sulphurico concentrato irrigatus non nigrescit. Solutio aquosa acido sulpho-hydrico præcipitatum album efficit; non turbatur chlorureto barytico, nec nitrate argentico, nec acetate plumbico.

Carbonas ammonicus ipsi affusus præcipitatum edit album quod in reagente excedente solvitur ; si solutioni apponatur phosphas sodicus, liquor limpidus permaneat ; et tandem, solutio aquosa lactatis zincici soda caustica excedente aucta, guttis aliquot sulphatis cupri cœrulescit, et calefacta nullum præbet præcipitatum rubrum.

LACTUCARIUM.

Succus ex caule variarum specierum lactucæ vulnerato expressus et inspissatus.

Sunt frusta angulosa, inæqualia exterius e fusco rubentia seu flaventia, generatim interne minus colorata, odoris virosi et saporis amari.

Perfecte non solvitur neque in aqua neque in alcohole neque in æthere.

LAPIS DIVINUS.

R.	Sulphatis cupri	326.5
	Nitratis potassæ	326.5
	Aluminis	326.5
	Camphoræ	20.5
		1,000

Tres priores substantiæ pulveratæ igne moderato liquentur in vase cupreo seu porcellaneo. Liquatis et ab igne remotis admisce camphoram pulveratam; massam refrigeratam, ex albo viridem, in frustula diffractam, caute in vasis obturatis serva.

LAUDANUM ROUSSEAU.

R.	Opii	250
	Mellis	750
	Fermenti cerevisiæ recentis	60
	Aquæ tepidæ	2,750
	Alcoholis 60°	250

Opio in aqua tepida diviso apponatur mel et fermentum, totumque in phialam immitte, eamque phialam calori 25°-30° expone donec fermentatio ex toto sit peracta.

Liquor exprimatur et filtretur, balneoque mariæ evaporetur ita ut remaneant partes 750.

Post refrigerationem addatur alcohol, et filtretur miscela post quietem 24 horarum.

Cum cautela servetur.

Unum gramma hujus præparati 25 centigrammatibus opii respondet.

LAUDANUM SYDENHAMI.

R.	Croci	34
	Aquæ destillatæ	380
	Aquæ destillatæ cinnamomi	90
	Alcoholis	470
	Essentiæ caryophyllorum	1.25

Macerentur per 48 horas, exprimantur; deinde addatur :

Alcoholis 60°	Q. S.
ut obtineantur.	933

Apponatur :

Extracti opii	67
	1,000

Solve, filtra et caute serva.

Unum gramma hujus præparati respondet 67 milligrammatibus extracti opii.

LICHEN ISLANDICUS.

Lichen membranaceus, consistentiæ satis firmæ, in lobos inæquales, margine sinuatos, divisus, extus coloris cinerei, intus fusco-fulvi, odoris fatui exsiccatione pereuntis, saporis amari, mucilaginosi.

LIGNUM GUAJACI.

Lignum ponderosum, compactum, e viridi fuscum, aqua gravius, resinosum, cortice vestitum extus griseo-fusco, intus ex cinereo flavo, odoris, si calefiat, aromatici, saporis subacris et amari. Alburnum est pallide lutescens et minus compactum.

Rasuram, quæ raro invenitur pura, non emat pharmacopola.

LIGNUM HÆMATOXYLON.

Prostat in segmentis ut plurimum cortice et alburno destitutis.

Lignum densum, durum, ponderosum, e fusco rubrum cum nitore viridescenti, texturæ fibrosæ, saporis subdulcis, subadstringentis, inter radendum odorem iridis Florentinæ referens.

LIGNUM QUASSIÆ.

Lignum in segmentis subcylindricis, magnitudinis et crassitudinis variæ prostans, fibrosum, tenax, leve, epidermide subaspera, cinereo-albescente, et cortice pallide flavo tectum, odoris nullius, saporis amarissimi.

Ne emat pharmacopola rasuram quassiæ quæ raro pura exhibetur.

LIGNUM SANTALI RUBRI.

Lignum ponderosum, durissimum, in frustis magnis longitudinaliter scissis adlatum, extus saturate fusco-rubrum, passim in colorem subviolaceum abiens, intus læte rubrum, affrictum odorem subaromaticum præbens. Aqua frigida nihil fere, spiritus vini autem facile pigmentum rubrum extrahit.

LIGNUM SASSAFRAS.

Lignum sassafras est leve, spongiosum, coloris griseo-fulvi, vel in stratis externis rubescentis et intus pallide flavi; odoris fœniculacei, saporis dulciusculi, aromatici.

Radix sassafras prostat in frustis majoribus minoribusve, plerumque cortice crasso, spongioso, fragili, coloris rubiginosi vestitis, odoris et saporis ligni, sed utriusque gravioris.

Adhibentur lignum et radix.

LIMATURA FERRI.

Præpara ferrum dulce ope limæ dividendo.

Sit splendens, magneti ex toto obediens; in acido chlorhydrico diluto plane solvatur interim gas hydrogeneum spargendo, quo nitras argenticus non mutatur.

Solutio, addita acidi nitrici quantitate sufficienti ut ferrum peroxydetur, et ammonia excedente infusa, præbeat liquorem colore carentem qui sulpho-hydrate ammonico non præcipitatur.

Servetur in vase sicco probe clauso.

LIMATURA FERRI PORPHYRISATA.

R. Limaturæ ferri . . . . Q. V.

Alcohole rectificato irrorata in mortario ferreo contundatur in pulverem subtilissimum, per cribrum sericeum colandum. Servetur vase vitreo sicco probe clauso.

Pulvis subtilissimus, inodorus, contactu mollis, coloris cinerei, pressione metallice splendens.

Characteres chemicos limaturæ ferri exhibeat.

LIMONADÆ ACIDULATÆ.

R. Acidi puri a medico præscripti . . .	2
Syrupi simplicis	75
Aquæ	923
	1,000

Misce tempore usus.

LIMONADA CITRATIS MAGNESIÆ.

R.	Citratis magnesici.	84
	Syrupi acidi citrici	150
	Aquæ	766
		1,000

Citratem solve in parva aquæ calidæ quantitate, dein appone syrupum et reliquam aquam et filtra.

Ut obtineatur præparatio aerata, proportionibus indicatis addantur :

Acidi citrici	5
Bi-carbonatis sodici.	5

et immittantur in lagenam tempore quo est claudenda.

Quantitates indicatæ si adhibeantur, obtinetur limonada 30 grammatum citratis per semi-lagenam, seu 360 grammatum.

Eodem modo præparentur limonadæ 40, 50 seu 60 grammatum per semi-lagenam, augendo quantitatem citratis debita servata proportione.

LINIMENTUM AMMONIACALE.

R.	Ammoniæ liquidæ	100
	Olei amygdalarum	900
		1,000

Agita vehementer. Præpara ex tempore.

LINIMENTUM AMMONIACALE CAMPHORATUM.

R.	Ammoniæ liquidæ	100
	Olei camphorati.	900
		1,000

Agita vehementer. Præpara ex tempore.

LINIMENTUM CALCICUM.

R.	Aquæ calcis	500
	Olei amygdalarum	500
		1,000

Misce, præpara ex tempore.

LIQUOR ARSENICALIS FOWLERI.

R.	Acidi arseniosi pulverati	10
	Carbonatis potassici puri	10
	Aquæ destillatæ	Q. S.
	Spiritus melissæ compositi.	30

Acidum arseniosum cum carbonate potassico commixtum in bulbum vitreum immitte, dein, 50 partibus aquæ infusis, calefac ad perfectam solutionem. Post refrigerationem, apponantur spiritus melissæ compositus, et aquæ quantitas sufficiens ut liquoris obtineantur partes 1,000.

Caute servetur in vasis probe clausis.

Unum gramma liquoris Fowleri continet 1 centigramma acidi arseniosi.

LIQUOR ARSENICALIS PEARSON.

R.	Arseniatis sodici	1
	Aquæ destillatæ.	999
		1,000

Misce.

Unum gramma liquoris continet 1 milligramma arseniatis sodici quod æquivalet 6 decimis partibus milligrammatis acidi arsenici.

LIQUOR SUBLIMATI CORROSIVI (Van Swieten).

R.	Sublimati corrosivi.	1
	Alcoholis 92°	100
	Aquæ destillatæ	899
		1,000

Paretur ex tempore.

LIQUOR VILLATE.

R.	Sulphatis cupri.	50
	— zinci.	50
	Aquæ destillatæ.	800
	Sub-acetatis plumbi liquidi	100
		1,000

Sulphati cupri in aqua soluto sub-acetatem plumbi appone, quo facto, sulphas zinci in liquore turbido solvatur.

LOOCH ALBUM.

R.	Syrupi amygdalarum	250
	Aquæ florum aurantiorum.	84
	Olei amygdalarum	84
	Gummi tragacanthi pulverati	6
	Aquæ	576
		1,000

Gummi tragacanthum cum oleo misce, deinde cetera, prius commixta, paulatim adjiciantur.

Præparatio ita fiat ut oleum perfecte emulsionem constituat.

LUPULINUM.

Lupulinum venale magnam continet quantitatem arenæ et terræ, quæ separatur lupulinum in aqua diluendo et post quietem aliquot minutarum decanthando; filtratur deinde liquor, et lupulinum remanens dulci calore desiccatur.

Pulvis grumosus, fusco-flavescens, odoris balsamici, saporis amari. In flammam immissus ardet ad modum lycopodii; fortiter contritus massam efficit plasticam. Servatur in vase clauso et sicco.

LYCOPODIUM.

Pulvis lycopodii constituitur sporulis hujus plantæ.

Est pulvis subtilis, mobilis, tactu unguinosus, digitis adhærens, coloris pallide flavi, odoris et saporis nullius. In flammam projectus, vehementer cum quodam strepitu ardet. Aquæ non directe immiscetur, sed supernatat; in liquoribus viscidulis, in alcohole, in æthere, in chloroformio, in corporibus pinguibus diluitur. Iodo non cœrulescit.

Structura microscopica particulari agnosci possunt adulterationes quas subit pulvis lycopodii.

LYTHARGYRUM.

Squamulæ ex albo vel rubello sordide flavescentes, sat nitidæ, ponderosæ, ex toto in acido nitrico, et in acido acetico solubiles.

Istæ solutiones coloris sunt expertes; addita ammonia excedente, colorem cœruleum non assumunt.

MACIS.

Macis, sive arillus, myristicæ moschatæ tunica, est crassa, lacera, reticulata, subcarnosa, tactu pinguis, flexilis, semi-translucens, recens laete rubra, sicca cinnamomi vel aurantiaci coloris, odoris fragrantis, saporis urentis, aromatici.

MAGNESIA CALCINATA.

R. Carbonatis magnesiæ. . . . . . . Q.V.

In crucibulo Hassiaco obtecto igne fortiori uratur, donec magnesia, aqua madefacta, affuso acido chlorhydrico non effervescat. Refrigerata et per cribrum sericeum colata in lagenis bene clausis condatur.

Quum major, quam quæ in crucibulo continetur, magnesiæ copia requiritur, tum ex crucibulo inter prunas adhuc collocato eximatur magnesia ope cochlearis ferrei, et in crucibulum vacuum rursus carbonas magnesiæ ingeratur ut, imposito operculo, candescat. Ustione peracta, iterum atque iterum operatio renovetur donec justa præparati moles obtenta fuerit.

Sit pulvis alba, levis, acidis dilutis penitus sine effervescentia solubilis. Solutio ope ammoniæ saturata ac filtrata si opus sit, addito oxalate ammoniæ non turbetur.

PER-MANGANAS POTASSÆ.

Crystalli aciculares, prismaticæ, coloris nigricantis, repercussum viridem metallico nitore exhibentis. Aere non mutantur, nisi plerumque saturate cæruleæ fiunt.

Solubilis in aquæ ad 15° partibus 16, aut in duplo aquæ bullientis

pondere. Solutio cum aqua mixta, coloris splendide purpurei ; substantiis oxygenii avidis illico decoloratur.

Fili ferrei tenuis 1.77 grammata in nimia quantitate acidi sulphurici diluti soluta, solutionem unius gram. permanganatis potassici crystallisati decolorat.

MANNA.

Manna Calabrina aut Siciliana in frustulis adfertur oblongis, levibus, friabilibus, ex albo lutescentibus, fracturæ granulatæ, calore manus emolliendis et subviscidis, odoris proprii submellei, saporis dulcis subnauseosi, acriusculi.

Manna optima præstat siccior, levior, subpellucida, e crystallis conglutinatis constans, albicans cum rubedine ; glebæ hujus mannæ majores, purissimæ, sub nomine mannæ electæ venduntur. Manna purissima in lacrymis ex arbore sponte stillat.

Aqua commixta manna præbet liquidum turbidum, quod nec a chlorureto barytico, nec ab oxalate ammonico mutatur, et iodo colorem cœruleum non inducit.

Alcoholi 92° bullienti magnam mannitæ copiam tradit, post refrigerationem in crystallis sejuncturam ; alcohol supernatans ope aquæ destillatæ non turbatur.

Igni exposita, manna 1, 3 ad 2 p. c. cinerum relinquit.

MASTIX.

In granis prostat parvis, subglobosis, siccis, fragilibus, pallide flavis, subpellucidis, superficie albo-pulverulentis, fractura splendentibus, odoris debilis sed grate balsamici, saporis subadstringentis, aromatici. Masticatione grana mollescunt et in essentia terebinthinæ facile solvuntur. Ab olibano aut sandaraca, quibus sæpe adulterantur, forma globosa et pelluciditate discernuntur.

MEDULLA BOVINA.

R. Medullæ bovinæ . . . . Q. V.

Partibus rubris rejectis, medullam in segmina tenuia seca, ea balneo mariæ liqua, per linteum densum cola, et agita donec massa

alba et opaca fiat. In vasa effunde perfecte implenda et claudenda, et in loco frigido et sicco serva.

Parva medullæ copia tantum paretur.

MEL.

Mel virgineum optimum, spissum, recens consistentiæ æquabilis, coloris ex albido flavescentis, odoris genuini, balsamici, grati, saporis dulcissimi, tempore in massam granulosam opacam abiens.

In spiritu vini ad 75° plane solvitur; non sit acidum; servetur in loco frigido sicco.

Mel commune, e flavo plus minusve fuscescens, veterinariis reservetur.

MEL DEPURATUM.

R.	Carragheen	2
	Mellis albi	1,000
	Aquæ destillatæ	1,000

Calefiant leniter carragheen cum aqua usque ad ebullitionem; adde mel, deinde coque per horæ quartam partem, vitando ne diffundatur spuma; tum per pannum cola et evapora, dum melliti bullientis densitas 1.29 sit.

MELLITUM ESCHAROTICUM.

R.	Sub-acetatis cupri pulverati	5
	Aceti	7
	Mellis.	14

Mixta coquantur sub continua agitatione, donec colorem rubrum et mellis consistentiam accipiant. Serva in vase porcellaneo probe clauso. Antequam eo utaris, omnes partes misce.

MELLITUM ESCHAROTICUM SOLLEYSEL.

R.	Sub-acetatis cupri pulverati	160
	Sulphatis zinci pulverati	160
	Lithargyri pulverati	80
	Acidi arseniosi pulverati	6
	Mellis	660

Tribus primis pulveribus cum melle in vase satis amplo ut massa tumescens effundi nequeat, mixtis, calefac agitando, donec hæc massa colorem rubrum, postque refrigerationem mellis spissitudinem induerit; tum acidum arseniosum accurate misce.

Fiant melliti grammata circiter 1,000.

MELLITUM MERCURIALE.

R.	Herbæ mercurialis siccatæ incisæ . . .	100
	Aquæ destillatæ bullientis	600

Macera per horas duodecim, exprime, crassamenta seponere sine, liquorique limpido decantato adde :

Sacchari albi	330
Mellis depurati	500

Evapora balneo aquæ usque ad densitatem 1.29, et per pannum cola.

MELLITUM ROSARUM.

R.	Petalorum rosæ rubræ siccatorum . .	100
	Aquæ destillatæ bullientis	600

Macera per horas duodecim, exprime, crassamenta seponere sine, decantha, et liquori limpido adde :

Sacchari albi	330
Mellis depurati	500

Evapora balneo mariæ usque ad densitatem 1.29 et per pannum cola.

MEMBRANA TENUIS ADHÆSIVA.

R.	Ichthyocollæ	60
	Aquæ destillatæ	500
	Alcoholis 60°.	440
		1,000

Ichthyocollam minutim sectam per duodecim horas in aquæ præscripta quantitate macerra, balneo mariæ calefac donec solutio facta sit, alcoholem adde, ac per pannum cola.

Membranæ tenui solutionem ope penicilli illine, sicca, et iterum pluries illine, donec membrana ichthyocolla sufficienter inducta sit

MINIUM.

Pulvis læte ruber, ponderosus, aqua insolubilis; igne ardente oxygenium amittit, oxydum plumbi flavum relinquens. Acido nitrico oxydum plumbi fuscum seponit.

Fervefactum cum aqua saccharata abundante, cui acidum nitricum admixtum est, minium purum cito solvitur, et solutio limpida apparet, ammonia excedente colorem cœruleum non inducens.

MORPHINA.

Crystalli prismaticæ rectæ, rhomboidales, nitentes, coloris expertes, non fatiscentes, saporis amari permanentis, vix in aqua frigida, æthere et chloroformio solubiles. Solvuntur autem in aquæ bullientis partibus circiter 500, in alcoholis frigidi ad 92° partibus 40, et in ejusdem alcoholis bullientis partibus 24; facillime in alialibus fixis, minus facile in aqua calcaria, vix in ammonia.

Morphina calefacta 5.94 partes pro 100 aquæ crystallisationis amittit; ad 120° sine mutatione liquescit, ac refrigerata massam crystallinam radiatam præbet. Calore ultra 200° aucto carbonescit, et residuo non relicto deflagrat.

Acido sulphurico valde diluto paulo nimium addito, solutio morphinæ non turbatur bicarbonate potassico; hydrate potassico contra præbet præcipitatum in excedente præcipitantis quantitate solubile.

Caute serva.

Narcotinæ præsentia in morphina ejusque salibus dignoscitur ex eo, quod præcipitatum ex addito liquore potassæ causticæ ortum, excessu potassæ non omnino evanescat; dignoscitur quoque ope ætheris in quo narcotina solvitur.

MOSCHUS.

Duæ sunt moschi species : scillicet moschus Tunquinensis seu Tibetanus, et moschus Moscoviticus seu Cabardinus aut Sibiricus.

Prima optima, in folliculis adfertur siccatis, rotundo-oblongis, ovum columbinum circiter magnis, hinc convexis, inde planis; in parte convexa et circa ductum excretorium, in medio positum, pilis rigidis, brevioribus, rarioribus, rufis aut e flavo fuscescentibus, obsitis. Substantia interna subunctuosa est, grumosa, plus minusve mollis,

e rufo nigricans, globulis minoribus variæ magnitudinis, fusco-nigris, pingue nitentibus et cuticulæ segmentis nec non pilis tenerrimis intermixta; magis siccata, punctis subresinosis, lucidis, flavicantibus, notatur. Hæc massa a pilis et partibus membranaceis liberata, moschus est officinalis, odoris gravissimi proprii, penetrantis, saporis acris, aromatico-amari, nunquam salini.

Rejiciatur moschus Moscoviticus, folliculis majoribus, odore debiliori, pilisque in vesica albo-cinereis, densis, longioribus, dignoscendus.

Moschus ex folliculis exemtus in officinis non recipiatur, utpote plerumque adulteratus.

Servetur in vitris bene clausis.

MUCILAGO CYDONIORUM.

R.	Seminum cydoniorum	10
	Aquæ destillatæ	1,000

Vitro injecta per semihoram conquassa, denique cola.

N. B. Mucilago spissa paretur cum seminum partibus 50.

MUCILAGO GUMMI ARABICI.

R.	Gummi arabici pulverati	200
	Aquæ	800
		1,000

Solve terendo in mortario marmoreo vel porcellaneo.

N. B. Medico mucilaginem spissam roganti dispensetur mucilago ex una parte gummi et duabus aquæ partibus confecta. Quum vero præscribitur mucilago levis, paranda est mixtura ex una parte gummi et novem partibus aquæ.

MUCILAGO GUMMI TRAGACANTHÆ.

R.	Gummi tragacanthæ pulverati . . .	12
	Aquæ	988
		1,000

Tere diligenter in mortario porcellaneo, aquam alternis vicibus affundens.

N. B. Mucilago spissa paretur cum gummi partibus 66.

MUCILAGO SALEP.

R.	Tuberculorum salep pulveratorum. .	10
	Aquæ.	1,030

Coque paulisper ut sint mucilaginis partes 1,000.

N. B. Mucilago spissa paretur cum partibus 20 salep, et decoctum cum partibus 5.

MYRRHA.

In frustis conglomeratis vel in granis prostat solitariis, rugosis, variæ magnitudinis, multiformibus, coloris flavo-fulvi aut rufi, subpellucidis, tactu pinguibus, fragilibus, fractura inæquali, non splendente, striis albidis intermixta, odoris proprii, grate aromatici, saporis similis, calidi, aromatici, amari.

Nec in aqua nec in alcohole omnino solvuntur. Solutio alcoholica ab acido nitrico colore violaceo tingitur.

Rejicienda est myrrha in frustis adlata nigrescentibus, interne fusco-rubris, glutinosis, vel in frustulis albis et viridescentibus, odoris ingrati, terebinthinacei, saporis amarissimi, nauseosi, acris.

NARCEINA.

Crystalli aciculares albæ, sericei nitoris, in aqua et in spiritu vini frigidis parum solubiles, magis in iisdem liquidis calidis, in æthere insolubiles.

Aqua iodata colorem cœruleum induit; acidum iodicum autem non mutat. Solutione chlorureti zinci neutrali cui addideris quantum satis est iodureti kalici ad solvendum ioduretum duplex, et aquæ iodatæ guttam unam, solutiones narceinæ aquosæ pulchras præbent crystallos, tenues, aciculares, sensim colorem cœruleum induentes.

Caute serva.

NITRAS ARGENTI CRYSTALLISATUS.

Tabulæ rhomboidales, pellucidæ, coloris expertes, margaritarii nitoris, nullam aquam continentes, pari pondere aquæ frigidæ solubiles.

Solutio aquosa chartam exploratoriam non mutat, nec ammonia caustica excedente cærulescit; acido chlorhydrico diluto excedente præcipitata, dein colata, posteaque evaporata, nihil residui præbet.

NITRAS ARGENTI FUSUS.

Sint bacilli sicci, ad quatuor millimetra crassi, ex albo cineracei, densi, in fractura texturæ radiatæ. Solutio aquosa coloris expers ad reagentia uti nitratis crystallisati solutio se habet.

SUB-NITRAS BISMUTHI.

R.	Acidi nitrici p. s. 1.40	225
	Aquæ	75
	Bismuthi contusi	100

Acido et aqua in cucurbitam vitream amplam immissis, sensim addatur bismuthum. Quum vapores nitrosi non amplius emanant, massa ad ebullitionem calefiat, et interdum agitetur ut metallum facilius solvatur. Partibus insolubilibus depositis liquor decapuletur, tum in vase porcellaneo tertiam partem illius evaporetur, et in aquæ destillatæ ad minimum triginta partibus strenue agitando instilletur. Sedimentum album inde ortum in tela linea densa recolligatur; illud aqua destillata accuratim lavetur, valide exprimatur, denique calore siccatum per cribrum bombycinum coletur, et in vase clauso servetur.

Sit pulvis albissimus, crystallinus, odoris expers, nullius fere saporis, omnino et sine effervescentia in acido nitrico solubilis. Hæc solutio, aquæ destillatæ quadruplo volumine diluta et filtrata, neque nitrate argentico, neque nitrate barytico, neque sulphate sodico, neque molybdate ammonico præcipitatur.

Cum acido sulphurico calori expositus donec acidum nitricum

plane evanuerit, tum sextuplo aquæ pondere dilutus et in apparatum Marshianum infusus, arsenici reactionem non præbet.

N. B. Aqua a præcipitato subnitratis bismuthi decanthata, et illa cujus ope lotum est, parvam nitratis bismuthici acidi copiam continent. Ammonia paulo excedente præcipitatum hydratis oxydi oritur, quo utendum est ad aliam præparationem.

PROTO-NITRAS HYDRARGYRI.

R.	Hydrargyri	10
	Acidi nitrici p. s. 1.32.	5
	Aquæ destillatæ.	1

Cucurbitæ vitreæ ingesta interdumque versata, stent temperatura consueta per duos tresve dies. Crystalli formatæ in infundibulo vitreo colligantur et liquor adhærens guttatim exstillet; dein inter chartam bibulam pressæ siccentur et in lagena rite clausa serventur.

Crystalli prismaticæ, coloris expertes, pellucidæ, in parva quantitate aquæ calidæ solubiles; magna quantitate diducuntur in nitratem acidum solubilem, et in nitratem basicum insolubilem flavum.

In acido nitrico diluto solutus, ab acido chlorhydrico excedente præcipitatus, filtratús ac ammonia alcalisatus non turbatur.

NITRAS HYDRARGYRI AMMONIACALIS.

R.	Nitratis hydrargyrosi	10
	Aquæ distillatæ.	400
	Acidi nitrici.	1

Nitrate in aqua acido nitrico acidulata soluto, solutioni guttatim et continuo agitans instilla ammoniæ liquidæ partes circiter 5, octuplo aquæ destillatæ dilutas donec præcipitatum nigrum quod inde oritur pallescere incipiat. Tunc sedimentum, ubi primum bene formatum erit, decanthando separa; aqua destillata ablue et inter chartam bibulam expressum, ac loco obscuro, solito aeris calore exsiccatum in pulverum tenuem redige. Servetur vitro opaco et bene clauso.

Sit pulvis nigerrimus, vix palpabilis, aspectus velutini; inter digitos fricatus ne globulos hydrargyricos vel ope vitri augentis præbeat. Igne totus avolet, vapores nitrosos emittendo. In aqua fere sit insolubilis; ope caloris acido acetico solvatur, exiguo tantum residuo subcinereo vel subfusco relicto.

NITRAS HYDRARGIRI LIQUIDUS.

R.	Hydrargyri	444
	Acidi nitrici p. s. 1.40.	666
	Aquæ destillatæ.	222

Leni calore hydrargyrum in acido aquæ mixto solve. Evapora solutionem, donec pondus ad 1,000 redigatur.

Liquor sit decolor, acidus, ponderis specifici 1.44 ad 1.45; potassa caustica excedente præcipitatum flavum demittit; si ad siccum evaporatus sit, residuum calore rubro plane avolat.

NITRAS POTASSÆ.

Crystalli prismaticæ sex lateribus instructæ, in apices diedres desinentes, coloris expertes, pellucidæ, anhydræ, aut pulvis crystallinus, albus, in aere persistens, in tribus partibus aquæ frigidæ, sed in 0.4 aquæ bullientis solubilis.

Solutio aquosa chartas exploratorias non mutat; nec carbonate sodico, nec chlorureto barytico, nec sulpho-hydrate ammonico, nec nitrate argentico præcipitatur.

NITRAS SODÆ.

Crystalli prismaticæ rhomboideæ, coloris expertes, translucidæ, aquam non continentes, in aere sicco non mutabiles, in aquæ frigidæ partibus duabus, et in parte minus una aquæ fervidæ solubiles.

Solutio aquosa ne mutet chartas exploratorias; chlorureto platinico, chlorureto barytico, carbonate sodico, et nitrate argentico non turbatur. Acidi sulphurici nitrosi aut aquæ chloratæ gutta una adjuncta, hæc solutio, cum chloroformio vehementer agitata, colorem e violaceo rubrum non induit.

NITRIS AMYLICUS.

R.	Alcoholis amylici	4
	Acidi nitrici.	1

In apparatu destillatorio vitreo convenienter refrigerato commixta calefac donec appareant bullæ; tunc ab igne remove et sepone ut reactio perficiatur.

Liquido per destillationem obtento interdum agitando partem unam magnesiæ calcinatæ adde, donec liquoris supernatantis gutta chartam exploratoriam cæruleam avolando in rubram non mutet; tunc stratum superne jacentem decantha et filtra.

Sit liquidum neutrum, e viridi flavum, odoris suffocantis, ponderis specifici 0.87, ad 95° bulliens, sine residuo avolans.

Illi chlorum colorem inducit primo rubrum, postea viridem.

Servetur in lagenis obturamentis vitreis clausis et a luce remotis.

NUX MOSCHATA.

Semina seu nuclei rotundi aut oblongi, extus cinereo-fusci, reticulato-rugosi, ponderosi, duriusculi, intus striis rubellis et fuscis variegati, odoris fragrantis, grate aromatici, saporis calidi, acris.

Nuclei mucidi, leves, ab insectis corrosi, vel saporis et odoris debilioris, rejiciantur.

NUX VOMICA.

Semina disciformia, 2 centim. circiter lata, utrinque compresso-plana, 3 ad 4 millim. crassa, e cinereo ochroleuca, villis ejusdem coloris aut cinereis, tenuissimis, sericeis, splendentibus obsita, cornea, inodora, saporis nauseosi, amarissimi.

Cautissime serventur.

OLEUM AMYGDALARUM.

E seminibus amygdali dulcibus convenienter pulveratis absque calore exprimatur.

Est oleum limpidum, pallide luteum, fere odoris expers, saporis dulcis et amœni, nec frigore, nec aere spissescens.

Pondus specificum 0.914 ad 0.920. Partibus olei novem cum ammoniæ causticæ parte una agitatis, oritur massula mollis, peræqualis et eamdem ex omnibus partibus speciem præbens.

Cum quarta parte acidi nitrici mixtum non vel aliquanto post colorem mutat; additis decem partibus olei mixturæ unius partis amyli cum acidi nitrici ad 1.20 partibus tribus, et liquido sic obtento quamdiu gaz avolaverit in balneo mariæ calefacto, oleum paulo post in massam crystallinam concrescit.

OLEUM ANIMALE ÆTHEREUM.

R. Olei animalis empyreumatici . . . . Q. V.

Per tubulum infunde in retortam vitream balneo arenæ imponendam; excipulum appone et leni calore destillationem institue, donec olei quarta fere pars effluxerit, vel quamdiu oleum tenue prodit ac coloris expers. Oleum sic obtentum cum aquæ quadruplo novæ destillationi ex alia retortula subjice, quamdiu limpidum et decolor emanat. Hoc ab aqua separatum immittatur in lagunculas ex toto replendas, probe claudendas et sub aqua inverse immergendas. Servetur loco obscuro.

Oleum leve, tenue, limpidissimum, coloris expers, odoris injucundi. Pond. specif. 0.750.

OLEUM ANIMALE EMPYREUMATICUM.

Ex partibus animalium in officinis chemicis destillatione sicca obtinetur.

Oleum crassum, fusco-nigrum, odoris fortis empyreumatici, saporis amari, nauseosi.

OLEUM CACAO.

R. Seminum cacao . . . . Q. V.

Decorticata, leviter tosta, et minutim contusa in mortario ferreo modice calefacto terantur, donec in massam unguinosam redacta sint. Tunc sacco cannabino inclusa, aquæ bullientis vapore imbuantur, et inter laminas metallicas aqua fervida calefactas, prelo expri-

mantur. Oleum elicitum liquefiat balneo vaporis et per chartam bibulam calide filtretur. Refrigeratum servetur in vasis apprime clausis.

Sit, recens, eflavescente-album, sevo ovillo quidquam solidius, odorem et saporem seminum cacao referens, nunquam rancidum. Facillime in æthere sed vix in alcohole solvitur. Pond. specif. 0.810. Totum liquefit ad 30°.

OLEUM CADINUM.

Destillatione sicca ligni oxycedri obtinetur.

Est fuscum, in strato tenui diaphanum, picem liquidam et carnem infumatam redolens.

Ne pro hoc accipiatur oleum cadinum veterinariorum, quod e præparatione picis liquidæ oritur.

OLEUM CAMPHORATUM.

R.	Camphoræ rasæ	100
	Olei olivarum	900
		1,000

Solve et cola.

OLEUM CHAMOMILLÆ.

R.	Florum chamomillæ vulgaris	100
	Alcoholis	75
	Benzoë pulverati	30
	Olei olivarum	1,000

Misce flores cum alcohole, et post macerationem per duas horas in vase clauso benzoë et oleum adde. Tum agitando calefac in balneo mariæ, donec spiritus omnis fugatus sit; exprime, et filtra.

OLEUM CHAMOMILLÆ CAMPHORATUM.

R.	Camphoræ rasæ	100
	Olei chamomillæ	900
		1,000

Solve et filtra.

OLEUM CROTONIS.

R. Seminum crotonis decorticatorum . . Q.V.

Cum alcohole cito lava, sicca, in pulverem grossum redige et ætheris ope extracta evapora calore 40° non excedente.

Liquidum limpidum, fuscescens, oleosum, odoris debilis, ingrati, saporis acerrimi, chartæ exploratoriæ colorem rubrum inducens.

Caute servetur.

N. B. Æther quo olei crotonis extractio facta est, ne ad alias præparationes adhibeatur.

OLEUM HYOSCIAMI.

R. Foliorum hyosciami recenter siccatorum et contusorum.	125
Alcoholis	90
Benzoë pulverati	30
Olei olivarum.	1,000

Folia in spiritum immisce et per duas horas macera. Benzoë et oleo additis, in balneo mariæ agitando calefac, donec spiritus omnis fugatus sit. Exprime et filtra.

OLEUM JECORIS ASELLI.

Præferendum est oleum coloris subsuccinei, sponte emanans ex hepatibus recentibus leviter acervatis, vel calore 100° non assecutis.

Si reagentis chymici ope dealbata sit, aut si valde fuscum et fœtidum sit, rejiciatur.

Præparetur sequenti modo :

R. Hepatum gadi recentium. . . . . Q.V.

Membranæ adhærentes detrahantur, tum jecora secentur et balneo aquæ in aheno plumbo albo illito strenue agitando calefiant, donec calor 65° ad 70° sit ; in telam densam oleum infundatur et exstillet.

Duos tresve dies sepositum decanthetur et pars supernatans charta filtretur.

Sit limpidum, odoris peculiaris, saporis dulcis non acris, chartam

exploratoriam cœruleam humidam vix mutans, ponderis specifici 0.920 ad 0.922.

Gutta olei una in sulphureti carbonis novemdecim guttis soluta, acidi sulphurici concentrati gutta una colorem violaceum celeriter in fuscum abeuntem induit.

Si agitatur cum pari volumine acidi acetici diluti, liquor acidus, decanthatus et filtratus, ab acido sulpho-hydrico non præcipitatur.

OLEUM LAURI.

Oleum e baccis lauri recentibus elicitum, unguinosum, e flavo viride, spissum, quasi granulatum, odoris fortis laurini, in æthere plane, in spiritu vini partim tantum solubile.

Solutionis alcoholicæ color viridis nec acido chlorhydrico, nec ammonia mutetur.

OLEUM LINI.

Oleum, seminibus lini elicitum, sit pellucidum, e fusco flavum, spissiusculum, odoris peculiaris, saporis debilis, ponderis specifici 0.93.

Si cum pari volumine acidi acetici diluti agitatur, liquor aquosus decanthatus et filtratus, acido sulpho-hydrico non præcipitatur.

OLEUM NUCISTÆ.

Oleum e nucibus moschatis expressum, calore solito solidum, calore 45° ad 48° liquescens, coloris e flavescente albidi, aut aurantiaci, aut rubicundi, odoris myristicæ, in quatuor partibus ætheris ferventis solubile.

OLEUM DE NARCOTICIS.

R. Foliorum belladonnæ siccatorum . .	15
Id. hyosciami nigri	15
Id. nicotianæ tabaci	15
Id. solani nigri	15
Id. stramonii	15
Benzoë pulverati	30
Olei olivarum	1,000
Alcoholis	50

Herbis contusis cum spiritu mixtis, post macerationem per duas horas oleum et benzoë adde; tum in balneo mariæ strenue agitando calefac, donec spiritus plane avolaverit.

Exprime et adde :

Essentiæ	hyssopi	1
Id.	lavandulæ	1
Id.	menthæ piperitæ	1
Id.	rorismarini.	1
Id.	thymi	1

Misce accurate ac in vasis probe claudendis, loco obscuro et algido, serva.

OLEUM OLIVARUM.

Oleum e drupis maturis leni expressione elicitum, pingue, pellucidum, coloris virescentis vel pallide flavescentis, vix odoratum, saporis subdulcis, frigore facile in massam albam, granulosam, coalescens. Pond. specif. 0.915.

Oleum olivarum commune, secunda expressione et ope bullientis aquæ elicitum, coloris obscurioris, minus pingue, odoris proprii haud grati etsi debilis, pond. specif. 0.927. Quod ad paranda emplastra et olea cocta solummodo adhibeatur.

Si decem olei partes cum una parte amyli et tribus partibus acidi nitrici ponderis specifici 1.20 in balneo aquæ calefiant, donec nihil evolet, oleum post aliquot horas ad massam crystallinam superficie polita præditam rigescit.

Mixtura unius voluminis acidi nitrici pond. specif. 1.35, et unius voluminis acidi sulphurici concentrati post refrigerationem cum uno volumine olei olivarum agitata, vix, uno volumine sulphureti carbonis addito, colorem mutat.

OLEUM PETROLEI RECTIFICATUM.

R.	Olei petrolei lucem producendo usitati. .	1
	Aquæ	10 vel Q. S.

Destilla donec oleum fere plane transierit. Liquore aliquod tempus seposito, pars levissima supernatans decanthetur.

Sit coloris expers, odoris peculiaris levis, chartam exploratoriam

non mutans, ignem non concipiens quum sulphuratum accensum immergitur. Calorem 150° non assecutum non effervescat, sed plane volatile sit priusquam 300° attigerit.

In sextuplo volumine spiritus rectificati ne solvatur, sed in qualibet quantitate sulphureti carbonis.

Pondus specificum 0.800 ad 0.820.

OLEUM PHOSPHORATUM.

R.	Phosphori	1
	Olei olivarum	100

Immitte phosphorum in lagenam olei pene repletam, quæ probe clausa, ita tamen ut aer emanare possit, in aquam fervidam immergatur ut phosphorus liquetur; conquassetur dein oleum calidum per horæ quadrantem et refrigeratum per linteum coletur.

Paretur ex tempore.

Sit limpidum, vapores albos emittens et a phosphoro non soluto liber.

OLEUM RICINI.

E seminibus ricini expressione calore non adhibito eliciatur. Sit pingue, spissiusculum, coloris expers aut pallide flavescens, limpidum, inodorum, saporis mitis nullo modo acris. Pond. specif. 0.954 ad 0.962.

In spiritu concentrato plane sit solubile, nec solutio chartam exploratoriam cœruleam rubescat. Mixtura trium olei ricini partium cum tribus sulphureti carbonis duabusque acidi sulphurici concentrati partibus, si calefactio vitata sit, commutetur in massam unguinosam albam aut pallide rubescentem, in sulphureto carbonis excedente insolubilem, et hujus ope colorem non mutantem.

OLEUM SUCCINI RECTIFICATUM.

R.	Olei empyreumatici sicca succini destillatione parati	1
	Aquæ	6

Destillentur e retorta vitrea balneo arenæ, ac perge quamdiu

oleum incolor transeat. Hoc ab aqua separatum immittatur in lagenas minores, loco obscuro servandas.

Sit flavescens.

N. B. Oleum succini rectificatum semper dispensandum est, nisi expressis verbis oleum crudum a medico postuletur.

OLEUM VESICANS.

R.	Olei jecoris aselli	1,000
	Euphorbii pulverati	15
	Cantharidum pulveratarum	30

Pulveres per horam in olei dimidia parte sæpe agitando digere, et per linteum cola; eodem modo residuum in relicta olei parte digere, ambosque liquores conquassando commisce.

Oleum vesicans pro usu veterinario reservetur.

N. B. Oleum vesicans duplex eodem modo cum duplis euphorbii et cantharidum ponderibus paretur.

OLIBANUM.

Olibanum in granis adfertur oblongis aut subrotundis, sæpe inter se cohærentibus, siccis, fragilibus, ex albo flavescentibus vel rubellis, semi-pellucidis, externe pulvere albido inspersis, fracturæ plano-conchoïdeæ, saporis balsamici, amariusculi, odoris balsamico-resinosi, imprimis cum incenduntur.

OPIUM.

Opium in placentis adfertur rotundis vel complanatis, variæ magnitudinis, foliis involutis seminibusque rumicis cujusdam sæpius conspersis.

Massam refert solidam, ponderosam, opacam, parum nitentem, inter digitos mollescentem, coloris e fusco rufi aut fulvi, odoris ingrati, virosi, saporis acris, amari, nauseosi. In aqua et in alcohole 80° ex parte solvitur.

Opium Smyrnæum valde præferendum; ne in officinis admittatur, nisi exsiccatum morphinæ ad minimum partes decem in centum partibus contineat.

OS SEPIÆ.

Os sepiæ lamina est solida, ovato-oblonga, alba, levis, utrinque leviter convexa, in parte superiore e lamellis superpositis, concentricis, et in parte inferiore e substantia porosa et friabili constans, inodora, saporis subsalso-marini, terrei.

Pars interna cultello radatur; tum partes albæ et friabiles divellantur, in aqua bulliente laventur, et siccentur.

OXYCHLORURETUM ANTIMONII.

R.	Chlorureti stibii liquidi	1
	Aquæ	25

Chloruretum guttatim in aquam convenienter agitatam instilla. Liquore paulisper seposito, sedimentum in filtro collectum atque elotum blando calore sicca.

Pulvis albus, solubilis in acido chlorhydrico, a quo magna aquæ copia iterum separari potest; solvitur quoque solutione calida tartratis acidi potassii.

OXYDUM ANTIMONII.

R.	Oxychlorureti stibii	Q.V.

Cum aqua in pultem redige, et adde carbonatis natrici solutionem concentratam, donec liquor, post digestionem et coctionem, leviter sit alcalinus. Sedimentum sepositione separatum filtretur, et probe ablutum siccetur.

Pulvis ex albo cinereus, saporis expers, neuter, in aqua non solubilis. Calore rubro liquatur et refrigeratus massam albescentem, crystallinam ostendit. Acido chlorhydrico plane sed sine effervescentia solvatur; in carbone, ope tubi ferruminatorii ignitus, in metallum reducatur absque odoris alliacei evolutione.

OXYDUM FERRI NIGRUM.

R.	Sulphatis ferrosi	150
	Aquæ destillatæ	150
	Acidi sulphurici concentrati	24

Misce et agita donec solutio sit perfecta; tum sensim adde :

Crystallorum chloratis potassii . . .	7.4

His solutis adde liquori :

Aquæ destillatæ	4,000
Solutionis sodæ causticæ.	Q. S.

ut chartæ exploratoriæ rubræ cœruleum colorem inducat.

Mixturam coque, post refrigerationem liquorem decantha, præcipitatum in telam densam collige, aqua destillata abluendo, donec liquor filtratus ope chlorureti barytici nullum præcipitatum præbeat; dein valide expressum calore 50° non excedente sicca.

Sit pulvis niger, subtilissimus, magnetis vi obediens, acido chlorhydrico cum æquali aquæ volumine mixto sine effervescentia plane solubilis. Solutio, ferro aut ferri-cyanureto potassii addito, præcipitatum cœruleum præbeat. In tubo vitreo sicco calefactum, viginti fere pro centum aquæ partes emittat.

OXYDUM HYDRARGYRI FLAVUM.

R. Sublimati corrosivi	1
Liquoris natri caustici	1
Aquæ destillatæ	12

Ingere natrum causticum in dimidiam aquæ partem, gradatim calefac, et liquori bullienti inter perpetuam agitationem sensim adde sublimatum corrosivum in altera dimidia parte aquæ solutum. Præcipitato seposito liquorem decantha, et præcipitatum sæpius aqua destillata elotum, donec liquor filtratus nitrate argentico non turbatur, collige et leni calore sicca.

Pulvis subtilissimus, ponderosus, coloris saturati flavi, ignitus in lamina platinea totus volatilis. Solutione acidi oxalici concentrata frigida in oxalatem album mutatur.

Non nisi expressis verbis a medico ordinatum dispensetur.

A luce remotum cautissime servetur.

OXYDUM HYDRARGYRI RUBRUM.

Sit pulvis tenuissimus, læte ex flavescente ruber, in acido nitrico vel chlorhydrico perfecte ac sine effervescentia solubilis. Calore 400°

excedente in oxygenium et hydrargyrum decompositus sine exhalatione vaporum nitrosorum totus avolat.

Cum aqua bulliente mixtus, reactionem leviter alcalinam præbet. Solutione acidi oxalici concentrata nullo modo mutatur.

BI-OXYDUM MANGANESII.

Occurrit in massis crystallinis vel radiatim fibrosis, compactis, ponderosis, fragilibus, subsplendentibus, coloris chalibeo-grisei, fracturæ minutim granulosæ, aut in massis amorphis, digitos inquinantibus. Acidis dilutis nullam præbet effervescentiam.

Quod venale prostat, non nisi in frustis ematur; præferenda sunt frusta splendentia, texturæ lamellosæ seu radiatæ. Centum partes contineant ad minimum partes sexaginta bi-oxydi manganesii puri.

OXYDUM ZINCI.

Pulvis albus, levis, accensus flavescens, in acido acetico facile et plane solubilis; solutio reactiones acetatis zinci præbet.

OXYDUM ZINCI PRÆCIPITATUM.

R.	Sulphatis zinci	300
	Carbonatis sodæ	350
	Aquæ destillatæ	2,000

Solve separatim sulphatem et carbonatem in dimidia parte aquæ; cola solutionem carbonatis sodæ, et in illam bullientem defunde paulatim, assidue agitando, solutionem sulphatis zinci limpidam et calidam. Mixturam coque donec præcipitatum, in principio gelatinosum, pulveri simile factum sit et facile seponatur. Sedimentum aqua destillata calida lava, quamdiu aqua abluens chlorureto baryi præcipitetur. Tum præcipitatum in telam collige, et siccatum calefac ad calorem obscure rubrum in crucibulo donec pars massæ quæcumque acido sulphurico diluto non effervescat.

Sit pulvis albus, levis, saporis expers, calore citrinus, refrigeratione denuo in album se convertens.

Si cum aqua misceatur, hæc colata neque chlorureto baryi, neque

nitrato argentico turbetur, nec ad siccum evaporata residuum relinquat.

Acido acetico oxydum zinci plane solvitur, quæ solutio acetatis zinci reactiones præbet.

OXYGENIUM.

R. Chloratis potassici pulverati	100	gramm.
Bi-oxydi manganesii pulverati et recenter calcinati	50	id.

Misce et in retortam immitte ferream ope tuborum sufficienter amplorum cum duabus lagenis conjunctam, quarum, gaz elavandi causa, prima solutionem sodæ causticæ dilutam, altera vero solutionem nitratis argentici levem continent, e quibus in apparatum ad gaz colligendum idoneum oxygenium ducitur.

Retortam lente calefac donec gaz non ultra avolet; id quod initio evadit et aeri in apparatu cohibito mixtum est, rejiciatur.

Ponderibus præscriptis 25 circiter oxygenii litri gignuntur.

Est gaz coloris, odoris et saporis expers, chartas exploratorias non mutans; combustionem auget; solutione alcalina pyrogallatis potassici omnino solvitur, solutionemque nitratis argentici non turbat.

PARAFFINA LIQUIDA.

Liquor oleaceus, limpidus, coloris et odoris expers, ponderis specifici non minoris quam 0.840, nullo modo fluorescens, calore minore quam 360° non ebulliens.

Paraffina liquida, cum acido sulphurico calore balnei mariæ per unum diem sæpius conquassando commixta, vix fuscat, neve illum colorat.

Eadem ratione cum sodio tractata, hujus metalli nitorem non obscurat.

Alcoholi bullienti reactionem acidam non tribuit.

PARAFFINA MOLLIS.

R. Paraffinæ solidæ	200
Paraffinæ liquidæ	800
	1,000

Balneo mariæ liquefac et sub agitatione continua refrigera.

Sit alba, diaphana, spissitudinis axungiæ, odoris expers, calore 35° ad 45° liquans; microscopii ope crystallis translucidis trajectam apparet.

Rancorem non contrahit.

PARAFFINA SOLIDA.

Massa alba, solida, odoris expers, microcrystallina, calore 74° ad 80° liquescens.

Sit eadem puritate qua paraffinam liquidam esse oportet.

PASTA ALTHÆÆ.

R.	Gummi arabici	1,000
	Sacchari.	800
	Aquæ	1,000
	Aquæ florum aurantiorum. . . .	180
	Albuminis ovorum	N° 8

Gummi celeriter ablutum in aqua solve, balneo aquæ calefaciendo. Solutioni saccharum adde, cola per telam densam, et strenue agitando ad mellis spissitudinem evapora.

Albumina ovorum cum aqua florum aurantiorum in spumam redacta portiunculis in massam gummosam ingere, et inter continuam agitationem illam balneo mariæ calefac, donec aliquantulum in dorso manus spathula impositum non adhæreat. Tum effundatur in tabulam pulvere amylaceo conspersam.

PASTA JUJUBÆ.

R.	Jujubarum	500
	Gummi arabici	3,000
	Sacchari	2,000
	Aquæ.	3,500
	Aquæ florum aurantiorum	200

Jujubas concisas et a nucleis liberatas in aquæ totam quantitatem infunde, et non exprimendo cola.

Gummi in aqua frigida ablutum balnei aquæ ope in jujubarum infusione solve, saccharum adde, et quum solutum erit liquidum per telam densam cola.

Mixturam per horas duodecim in balneo mariæ non agitando calefactam, spuma ablata et aqua florum aurantiorum addita, in cistulas e ferro stanno obducto confectas, intus oleo amygdalarum dulcium leviter inductas effunde, et exsicca in caldario, calore 40°. Pastam jam satis firmatam in cistulis inverte, et in caldario relinque donec ad consistentiam sufficientem perveniat; tunc pastam charta bibula absterge.

PASTA LICHENIS ISLANDICI.

R.	Lichenis Islandici	170
	Gummi arabici	1,000
	Sacchari	800
	Aquæ florum aurantiorum	60
	Aquæ	Q. S.

Lichenem cum viginti aquæ partibus ad ebullitionem usque celeriter calefac, dein, aqua rejecta, ablue aqua frigida donec ab amaritie liberatus sit. Tum lichenem cum s. q. aquæ per horam coque et valide exprime.

Huic decocto gummi et saccharum adde, cola per telam densam, balneo mariæ ad mellis spississimi consistentiam evapora, aquam florum aurantiorum adjice, ac evaporando perge donec pasta consistentiam firmam præbeat. Tum effundatur in tabulam oleo amygdalarum dulcium obductam, et post refrigerationem accurate abstergatur.

PASTA LIQUIRITIÆ.

R.	Gummi arabici	1,000
	Sacchari	500
	Succi liquiritiæ depurati	150
	Aquæ	Q. S.

Gummi et saccharum solve uti pro pasta althææ præscriptum est; colaturæ adde succum liquiritiæ prius aqua solutum, et evapora ad

spissitudinem syrupi densioris. Tunc imponatur lebes balneo mariæ ut massa lente refrigescat; dein, detracta pellicula, in cistulas rite paratas oleo leviter illitas pastam effunde, ac in caldario calore 40° exsicca.

PASTA PECTORALIS BALSAMICA (Regnauld).

R.	Florum pectoralium	66
	Gummi arabici	405
	Tincturæ balsami tolutani.	3
	Sacchari	329
	Aquæ	Q.S.

Fiat pasta cum infuso florum pectoralium.

PASTA PHOSPHORATA.

P.	Phosphori	10
	Axungiæ	100
	Farinæ tritici	445
	Aquæ bullientis	445
		1,000

Phosphoro in tota aqua diluto paulatim adde farinam et axungiam et strenue contere donec pasta perfecta sit. Mortario marmoreo vel porcellaneo calefacto utere.

N. B. Hæc pasta ad animalia nocentia destruenda utilis est.

PAULLINIA.

Massa dura colore chocolati gaudens, odoris proprii, saporis adstrigentis amari, interius punctis albis inspersa. In aqua tumescit nec tamen complete solvitur. Imperfecte alcohole dissolvitur.

PEPSINA.

Massa squamosa, grumosa vel pulverulenta, e cinereo alba, odoris animalis non putridi, saporis fere nullius, aere humido mutabilis, cum aqua solutionem turbidam præbens.

Si 25 centigrammata pepsinæ cum 25 gram. aquæ, 40 centigram. acidi lactici et 10 gram. fibrinæ madidæ commisceas, ac per 12 horas

ad temperaturam 45° evapores, liquorem obtines residuum cinereum valde exiguum relinquentem, et acido nitrico nullum præcipitatum edentem.

PHOSPHAS CALCICUS.

R. Ossium ad albedinem calcinatorum in pulverem redactorum	1,000
Acidi chlorhydrici	1,600
Aquæ destillatæ.	8,000
Ammoniæ circiter	1,600

Pulverem cum acido et præscriptæ aquæ dimidia parte misce, leni calore digere, donec diluatur, filtra et sensim adde solutioni ammoniam cum reliqua aqua mixtam.

Miscelam aliquantisper coque, præcipitato seposito liquorem decantha, præcipitatum aqua calida ablue donec liquor filtratus nitrate argentico non præcipitet, exstilla, sicca et cribro sericeo succerne.

Sit pulvis albus, tenuissimus, levis, saporis expers, in acido nitrico sine effervescentia solubilis; quæ solutio aqua diluta nitrate argentico aut sulphate calcico aut acido sulpho-hydrico non præcipitatur.

PHOSPHAS FERRI.

R. Sulphatis ferri	100
Phosphatis sodæ.	300
Aquæ destillatæ	3,000

Ferri sulphatem in aquæ litro uno et phosphatem sodæ in duobus litris solve. Solutiones ambas misce, strenue agita, et per viginti quatuor horas sepone.

Præcipitatum donec liquor nullo modo chlorureto barytico turbetur ablutum exstilla, calore 25° non excedente sicca, et cribro sericeo succerne.

Sit pulvis tenuis, inodorus, e cinereo cœruleus, saporis expers, in aqua et spiritu insolubilis, in acido chlorhydrico autem plane solubilis. Hæc solutio in viginti aquæ voluminibus diluta chlorureto barytico non præcipitatur, et cum ferro-cyanureto aut cum ferri-

cyanureto potassico cœruleum berolinense gignit; cum chloratis potassici quantitate sufficiente ut chlori odorem emittat calefacta, ammonia caustica excedente addita et filtrata, liquorem relinquit decolorem; ammonia caustica ad saturationem addita, tumque sulpho-hydrato ammonico excedente admixto, post filtrationem liquorem præbet, qui cum sulphatis magnesici et chlorureti ammonici miscela præcipitatum phosphatis ammoniaco-magnesici album demittit. Phosphas ferri igne fortiori in carbone ad rubedinem calefactus odorem alliaceum non spargit.

PHOSPHAS SODÆ.

Sunt crystalli odoris nullius, saporis salsi, pellucidæ, reactionis alcalinæ, in aquæ frigidæ partibus circiter quatuor, fervidæ vero duabus solubiles; alcohole non solvuntur. Solutio aquosa, addito nitrate argentico neutro, præcipitatum flavum demittit; solutione nitratis argentici, cui acidum nitricum additum fuerit, non turbatur, et præcipitatum ex affuso liquore nitratis barytici ortum, totum acido nitrico solvitur. Acido sulpho-hydrico non coloratur.

PHOSPHORUS.

Substantia solida, recens parata decolor vel subflava, semi-diaphana, ceræ instar splendens, odorem alliaceum spargens, calore 44° liquescens, aeri exposita fumum album in loco obscuro lucentem emittens, facillime inflammabilis. Occurrit in bacillis aut in massis amorphis, tempore procedente crustam albam vel rubram exhibentibus. Servetur in lagenis parvis aqua destillata repletis, bene clausis et in loco obscuro positis.

Phosphorus continens sulphur, arsenicum aut substantias metallicas rejiciatur. Quas adulterationes ita perspicies : si in vase porcellaneo phosphori partem unam cum decem partibus acidi azotici ad 1. 33 et sex partibus aquæ destillatæ calefacias, solutionem evapores donec nullos fumos acidos emittat, et residuum in aquæ decem partibus solvas, hæc solutio calefacta nec ab acido sulpho-hydrico nec a chlorureto barytico præcipitabitur; ammonia caustica valde excedente saturata cum sulpho-hydrate ammonico nullum præcipitatum præbebit.

PILULÆ.

1. Medicamina solida quæ ad parandas pilulas advocantur, ante omnia in pulverem tenuem redigantur.

2. Medicamina heroïca, qualia sunt acidum arseniosum, chloruretum hydrargyricum, strychnina, etc., in liquorem idoneum solvantur. Hac solutiones pulveribus ad pilulas parandas addendis misceantur, tumque evaporentur ad eam consistentiam ut pilulæ apte formari possint.

3. Si medicus in pilularum formula majorem extractorum copiam præscripserit quam quæ ad massam justam sufficit, extracta ad eam consistentiam evaporentur, ut cum aliis substantiis miscelam satis firmam præbeant, sui ipsius pondere non desidentem.

4. Substantiis mollibus non decoquendis pulveres, sicut sacchari, lactis, liquiritiæ aut magnesiæ, addantur, ut consistentiam habeant idoneam.

5. Consistentia ad pilulas parandas apta substantiis siccis adjunctione gummi mucilaginis, syrupi simplicis vel potius mellis aut glycerinæ tribuatur.

6. Pilulæ instrumentis massam non adulterantibus parentur : ita in massis pilularibus corpora metallica continentibus parandis instrumenta metallica vitentur.

7. Nisi aliter a medico mandatum sit, pilulæ in pharmacopæa inscriptæ viginti centigrammata pendant, lycopodio conspergendæ.

8. Massæ pilulares vulgares in vasis clausis serventur; quæ corpora aere mutabilia continent, in lagenis optime clausis includantur.

PILULÆ ALOES.

R.	Aloes	500
	Saponis medicati.	500
		1,000

Fiat massa pilularis. Singulæ pilulæ decem aloes centigrammata contineant.

PILULÆ ALOETICÆ CUM HELLEBORO.

R.	Colocynthidis	3	
	Agarici albi	2	
	Rhizoma hellebori nigri	2	
	Aquæ	50	s. Q. S.

Coquantur ut fiat secundum legem artis extractum ad mellis consistentiam; tum adde

Pulveris aloes	4
Id. scammonæ	2

et evapora ad pilularem consistentiam, sub finem addendo aliquantulum alcoholis ut massa sit homogenea.

PILULÆ ANDERSON.

R.	Aloes	394	
	Gummi guttæ	394	
	Essentiæ anisi	20	
	Mellis albi	192	s. Q. S.
		1,000	

Fiat massa.

PILULÆ ANTE-CIBUM.

R.	Aloes	500	
	Extracti chinæ fuscæ	250	
	Corticis cinnamomi	100	
	Syrupi absinthii	150	s. Q. S.
		1,000	

Fiat massa.

PILULÆ BLAUD.

R.	Sulphatis ferrosi	100
	Bicarbonatis sodæ	62
	Gummi arabici	8
	Glycerinæ	3
	Syrupi simplicis	25

In vase porcellaneo gummi pulveratum, glycerinam et syrupum pone; balneo aquæ calefac donec gummi solutum sit; sulphatem ferrosum, dein bicarbonatem sodicum, ambo pulveratos adde, et semper agitando calefacere perge, donec massa fiat consistentia pilulari potius firma quam molli prædita. Fac pilulas centigrammatum quinque et viginti, leni calore illas sicca, argenta, et serva in lagena bene clausa.

PILULÆ COPAIVÆ CUM CUBEBIS.

R.	Balsami copaivæ.	28
	Ceræ flavæ	14
	Fructuum cubebæ	58
		100

Ceræ balneo aquæ liquatæ adde balsamum, dein cubebas; agita donec massa, pene refrigerata, consistentiam ad pilulas formandas aptam accipiat. Ex tempore paretur.

PILULÆ COPAIVÆ CUM MAGNESIA.

R.	Balsami copaivæ spissati	500
	Pulveris liquiritiæ	500
		1,000

Misce.

PILULÆ DE CYNOGLOSSO.

R.	Extracti opii.	100
	Seminum hyosciami.	100
	Corticis radicum cynoglossi. . . .	100
	Myrrhæ	150
	Olibani	120
	Croci	40
	Castorei	40
	Mellis depurati	350
		1,000

Quum cortex radicum cynoglossi et hyosciami semina separatim haud facile pulverari possint, adde utriusque harum substantiarum

quartam partem insuper, in caldario sicca, commixtas in pulverem redige, et pulveris 200 cum aliis substantiis pulveratis misce.

Præterea extractum opii balneo aquæ in melle depurato liquescat; adde huic massæ cunctos pulveres in mortario ferreo, mixturam æqualis consistentiæ compone, et serva in vase clauso. Singulæ pilulæ ad decimam ponderis sui partem extractum opii et tantumdem seminum hyosciami continebunt.

PILULÆ FRANCK.

R.	Aloës	2
	Radicis rhei	1
	Syrupi absinthii	Q. S.

Fiant pilulæ ponderis centigr. 10, foliis argenteis obducendæ.

PILULÆ FULLERI.

R.	Aloes	18
	Foliorum sennæ.	9
	Asæ fœtidæ	5
	Galbani	5
	Myrrhæ	5
	Croci	2
	Macidis	2
	Sulphatis ferrosi.	26

Misce et adde :

Olei succini rectificati	2
Mellis cum quarta parte alcoholis . .	26

ut fiat massa pilularis in vase accurate clauso servanda.

PILULÆ HAENII.

R.	Pilularum aloeticarum cum helleboro.	40
	Scammoniæ	20
	Resinæ jalappæ	20
	Saponis medicati.	20
		100

Fiat ex arte massa pilularis.

PILULÆ HYDRARGYRICÆ.

R.	Hydrargyri	33
	Mellis.	33
	Petalorum rosarum rubrarum. . .	7
	Sacchari	10
	Radicis liquiritiæ	17
		100

Hydrargyrum cum melle et pulvere rosarum in mortario lapideo tere donec globuli metallici visum effugiant ; tum adde saccharum et pulverem liquiritiæ, dein omnia simul contunde in massam pilularem.

PILULÆ IODURETI FERRI.

R.	Iodi	20.5
	Limaturæ ferri	10
	Aquæ destillatæ	40
	Mellis.	35
	Pulveris radicis althææ.	25
	Id. liquiritiæ	15

Solutioni iodureti ferrosi aqua et calore paratæ, adde mel et in capsula porcellanea igne vivido evapora ad partes sexaginta, tum ab igne remove et adjice pulveres ut sint partes 100.

Massam in pilulas 20 centigrammatum redige, quæ cum limatura ferri tenuissima obvolvendæ ac cum solutione ætherea masticis et balsami tolutani illiniendæ, ne aeris aditu alterentur. Serva in lagunculis clausis.

N. B. Quævis pilula continet quinque centigrammata iodureti ferrosi.

PILULÆ MEGLIN.

R.	Extracti valerianæ	1
	Id. hyoscyami	1
	Oxydi zinci	1

Fiat massa pilularis. Pilulæ quindecim centigr. pendant.

PILULÆ MORTONI.

R.	Gummi ammoniaci	65
	Balsami Peruviani	5
	Acidi benzoici	16
	Croci	5
	Essentiæ anisi sulphurati	3
	Mellis.	6
		100

Fiat massa pilularis in vase accurate clauso servanda.

PILULÆ PLUMMERI.

R.	Calomelados	1
	Sulphuris aurati antimonii.	1
	Extracti fumariæ	1

Trituratione probe commixta reducantur cum glycerinæ quantitate sufficiente in massam, e qua formentur pilulæ centigr. 15.

PILULÆ RUFI.

R.	Aloes	334
	Myrrhæ	167
	Croci	83
	Conservæ rosarum	416
		1,000

Misce.

PILULÆ SCILLITICÆ COMPOSITÆ.

R.	Scillæ.	140
	Gummi ammoniaci	280
	Saponis medicati.	580
		1,000

Fiat ex arte massa pilularis.

PILULÆ VALLET.

R.	Sulphatis ferrosi.	100
	Carbonatis sodæ.	120
	Mellis.	50
	Sacchari lactis	10
	Aquæ fervidæ, in qua quindecima pars sacchari solvatur	Q. S.

Sulphatem ferri et carbonatem sodæ seorsim aquæ saccharatæ quadruplo pondere solve; solutiones fervidas in lagena bene claudenda misce, dein adde aquæ bullientis satis ut lagena penitus repleatur, et sepone ut carbonas ferrosus subsidat. Quo facto, defundatur liquidum; lagena celeriter aqua bulliente denuo repleatur, sicque perge donec liquidum defusum chlorureto baryi non amplius turbetur. Sedimentum sic ablutum effunde super telam strictioris texturæ syrupo sacchari imbutam et fortiter exprime; tum statim, in capsula porcellanea balneo aquæ exposita, cum melle et saccharo lactis commisce, ac evapora donec miscela pilularem consistentiam obtinuerit. Serva in vitro recte clauso et fiant, ex tempore, pilulæ quindecim centigrammatum.

Sit massa mollis, e viridi cinerea, saporis dulcis neutiquam salini, reactiones carbonatis ferrosi, non autem oxydi ferrici ostendens.

PIX BURGUNDICA.

Massa resinosa, e fulvo flava, solida, frigore fragilis, calore fluens, tenacissima, odoris peculiaris, saporis jucundi, non amari, in spiritu frigido non omnino solubilis. Rejiciatur pix Burgundica artificialis, gravi terebinthinæ Burdigalensis odore et sapore amaro prædita, in spiritu omnino solubilis.

PIX LIQUIDA.

Destillatione sicca e ligno, truncis et radicibus coniferarum paratur. Pix liquida vegetabilis semi-fluens est, saturate fusca aut e nigro fusca, in stratis tenuibus diaphana, odoris peculiaris, saporis acris,

in aqua parum solubilis, in spiritu, in acido acetico crystallisabili, in corporibus pinguibus, in essentiis, in chloroformio et in æthere omnino solubilis. Reactio est acida; pondus specificum circa 1.060.

PIX NIGRA.

Pix nigra est massa a destillatione picis liquidæ vegetabilis relicta. Substantia nigra est, opaca, frigore fragilis, fractura conchoidali, nitens, odore peculiari prædita, fere insipida, calore manus emollita. Solutio alcoholica ne virescat.

PODOPHYLLINUM.

R.	Rhizomatum et radicum podophylli. .	Q. V.
	Alcoholis ad 92°.	Q. S.

Rhizomatum et radicum partibus solubilibus ab alcohole plane extractis, solutionem balneo mariæ destilla ut duos alcoholis trientes recolligas; quod vero restiterit sensim infunde in magnam aquæ destillatæ frigidæ copiam, cui 1.5 partes pro centum acidi chlorhydrici additæ fuerint. Præcipitatum inde ortum collectum et aqua frigida ablutum temperatura 35° non excedente sicca et in pulverem tenuem redige.

Caute servetur.

Sit pulvis e flavo subviridi fuscus, amorphus, odoris ingrati, saporis acris, amari, in aqua fere insolubilis, in alcohole vero et in liquoribus alcalinis causticis omnino, in æthere et in sulphido carbonico tantum ex parte solubilis.

POTASSA CAUSTICA FUSA.

Frusta irregularia aut bacilli albi vel albo-cinerei, duri, deliquescentes, in duabus partibus alcoholis concentrati et in aquæ dimidia parte solubiles. Solutio concentrata cum acido tartarico excedente præcipitatum album crystallinum, et acido chlorhydrico saturata, cum chlorureto platinico præcipitatum flavum præbet; calefacta non bulliendo funditur.

Servetur in vase sicco et bene clauso.

Potassæ causticæ gramma unum in aqua solutum, haud minorem copiam quam 17 c.c. acidi oxalici normalis saturet.

POTASSA CAUSTICA SOLUTA.

R.	Potassæ causticæ.	334
	Aquæ destillatæ.	666
		1,000

Liquor limpidus, coloris et saporis expers, saporis valde alcalini, ponderis specifici 1.33 ad 1.34. Acido nitrico saturatus non effervescit; solutio est limpida nec acido sulpho-hydrico admixto coloratur.

Servetur in vasis bene clausis.

POTIO ANTIEMETICA RIVERII.

R.	Bicarbonatis potassæ	2
	Aquæ puræ.	50
	Syrupi sacchari.	15

Misce et in lagenam inscribe: Potio n° 1.

R.	Acidi citrici.	2
	Aquæ puræ.	50
	Syrupi acidi citrici.	15

Misce et in lagenam inscribe: Potio n° 2.

Quum potio sumenda erit, cochleam utriusque potionis in poculum vitreum infunde, et inter agitationem fiat haustus.

POTIO CHOPART.

R.	Balsami copaivæ.	57
	Alcoholis 84°	57
	Syrupi capillorum Veneris	57
	Aquæ menthæ	57
	Id. florum aurantiorum. . . .	15
	Ætheris nitrosi alcoholici	7
		250

Misce.

PRÆCIPITATUM ALBUM.

R.	Sublimati corrosivi	100
	Aquæ destillatæ.	2,000
	Ammoniæ	87

Sublimato in aqua calida soluto liquorem cola, refrigeratione facta ammoniam accurate agitando adde, sedimentum in filtrum collectum, liquore delapso, aquæ partibus 18 elue, a luce remotum calore 30° sicca, et loco obscuro caute serva.

Pulvis albus, odore carens, in aqua insolubilis, in acido nitrico calido autem facile solubilis; cum liquore sodæ causticæ commixtus, flavescit ammoniæque vapores emittit; calefactus non liquescit, sed ex toto aufugit.

PULPA PRUNORUM.

R.	Prunorum	Q. V.

In aqua coque donec emollita sint et, separatis nucleis, pulpam per cribrum setaceum trajice ac ad debitam consistentiam evapora. Paretur ex tempore.

PULVERES.

1. Medicamenta in pulverem extenuanda proba, a quisquiliis mundata et siccata sint, opertet.

Nuces vomicæ, fabæ Sancti Ignatii et agaricus albus prius limanda sunt.

Quædam gummi-resinæ hieme tantum pulverandæ sunt, et pulveratæ dicantur *depuratæ.*

2. Partes vegetabiles ac animales in mortario ferreo polito; corpora autem metallum exedentia in mortariis lapideis vel porcellaneis pulverentur.

3. Pulveres contundendo aut terendo præparati per cribrum subtile, aut potissime sericeum transeant. Pulveres tamen anisi, asari, kousso, sabadillæ, cumini, fœniculi, phellandrii aquatici, capsici, secalis cornuti et staphysagriæ, farina lini et farina sinapis cribro setaceo succernantur, sistendo quum nil nisi sordes cribrum retinet.

4. Radices ac cortices texturæ compactæ nullo relicto residuo

sunt pulverandæ; fibrosarum autem substantiarum extenuatio sistenda quum fibrillæ tantammodo in cribro hærent. Radicis ipecacuanhæ, foliorum et florum quarta pars sub pulverisatione rejiciatur.

5. Materiæ molles aut elasticæ corpore neutro adjuncto pulverantur.

6. Substantiæ nonnullæ, ut acidum arseniosum, bolus Armeniæ, oxydum hydrargyricum, sulphuretum antimonii, etc., levigando cum aqua in pulverem intactilem redigantur.

7. Omnes pulveris partes accuratissime misceantur, ac iterum desiccentur, ut bene serventur.

8. Pulveres compositi singulas partes prius pulveratas pendendo et intime commiscendo parantur, tumque cribro parum stricto incernantur.

9. Pulveres in loco sicco, ac potissime in lagenis vi præditis desiccante serventur.

PULVERES AËROPHORI.

R. Bicarbonatis sodici pulverati	2

Detur in charta cærulea.

R. Acidi tartarici pulverati.	1.5

Detur in charta alba.

PULVERES AËROPHORI LAXANTES.

R. Tartratis potassæ et sodæ	8
Bicarbonatis sodici	2

Misce, et detur in charta cærulea.

R. Acidi tartarici	2

Detur in charta alba.

PULVIS ANTIMONIALIS JAMES.

R. Oxydi antimonii.	334
Phosphatis calcis	666
	1,000

Misce.

PULVIS AROMATICUS.

R. Rhizomatis zingiberis.
Corticis cinnamomi.
Fructus cardamomi; singulorum partes æquales.

Misce.

PULVIS ARSENICALIS COSMI.

R.	Sulphureti hydrargyri rubri . . .	625
	Carbonis animalis	250
	Acidi arseniosi	125
		1,000

Misce et cautissime serva.

PULVIS ARSENICALIS ROUSSELOT.

R.	Sulphureti hydrargyri rubri . . .	470
	Sanguinis draconis	470
	Acidi arseniosi	60
		1,000

Misce et cautissime serva.

PULVIS CACAO COMPOSITUS.

R.	Seminum cacao torrefactorum . . .	64
	Oryzæ	186
	Fæculæ solani tuberosi	186
	Sacchari	560
	Vanillæ	4
		1,000

Misce.

PULVIS CITRATIS MAGNESIÆ SACCHARATUS.

R.	Magnesiæ calcinatæ.	6.50	gramm.
	Carbonatis magnesiæ	6	»
	Acidi citrici grosso modo pulverati .	30	»
	Sacchari grosso modo pulverati . . .	60	»
	Spiritus citri.	1	»

Misce et serva in lagena clausa et lata apertura prædita.

Hæc dosis quinquaginta citratis magnesiæ crystallisati grammatibus æquivalet.

PULVIS DEPILATORIUS.

R.	Orpimenti	37
	Calcis vivæ	593
	Amyli.	370
		1,000

Misce et cautissime in vase clauso serva.

PULVIS DOWERI.

R.	Extracti opii sicci pulverati. . . .	90
	Pulveris ipecacuanhæ	90
	Sulphatis potassæ	820
		1,000

Accurate misce et serva in vase clauso.

PULVIS HÆMOSTATICUS.

R.	Colophonii	600
	Gummi tragacanthæ	100
	Argillæ albæ.	300
		1,000

Misce.

PULVIS LIQUIRITIÆ COMPOSITUS.

R.	Foliorum sennæ.	160
	Radicis liquiritiæ	160
	Fructuum fœniculi	80
	Sulphuris depurati	80
	Sacchari	520
		1,000

Misce.

PULVIS PURGANS ROGÉ.

R. Magnesiæ calcinatæ.	8	gramm.
Carbonatis magnesiæ	4	»
Acidi citrici	26	»
Sacchari	50	»
Essentiæ citri	3	guttas.

Misce accurate. Quum hoc pulvere uti velis, illum in aquæ 250 grammatibus solve ut fiat potio.

PULVIS STERNUTATORIUS.

R. Rhizomatis asari.	1
Rhizomatis iridis florentinæ	1
Herbæ majoranæ	1

Cribro setaceo succerne.

PYROPHOSPHAS FERRICUS CITRO-AMMONIACALIS.

R. Chlorureti ferrici liquidi	100
Pyrophosphatis sodici	54
Acidi citrici	17
Ammoniæ	Q. S.

Pyrophosphatem sodicum in decem aquæ partibus solutum paulatim infunde in liquorem chlorureti ferrici antea decem aquæ partibus dilutum. Præcipitatum inde exortum in filtro lavetur.

Solutioni acidi citrici in duabus aquæ partibus ammoniam copia prævalente adde, præcipitatum pyrophosphatis humidi in hunc liquorem infunde, cola, et leni calore ad syrupi spissitudinem evapora. Dein penicillo super laminas vitreas aut patinas escarias extende, et in caldario perfecte exsicca.

Lamellæ e flavo fuscæ, odoris expertes, saporis mitis, in aqua solubiles, continentes in partibus centum circiter partes duodeviginti ferri metallici.

PYROPHOSPHAS SODÆ.

Crystalli rhomboëdricæ, coloris et odoris expertes, saporis subsalsi, in aere persistentes, calore aquam amittentes, et calore rubro in vitrum diaphanum liquescentes, in aquæ decem partibus ad 20° solubiles, nullo modo autem in spiritu. Solutio aquosa chartæ exploratoriæ rumbræ cœruleum colorem inducit, acidis non effervescit, et nitrate argentico præcipitatum album præbet, liquore superante neutro. Aqua solutus et acido nitrico addito acidus, chlorureto barytico et nitrate argentico non turbatur. Solutio aquosa acido chlorhydrico addito acida, tum calefacta, acido sulpho-hydrico non mutatur.

PYROXYLUM.

Pyroxylum gossypio tomentoso simile, sed tactu asperius, album, odoris et saporis expers, in aqua et in spiritu non solubile, in aere persistens, reactionem exhibens neutralem, corporibus ardentibus admotis vehementer urens, conflictu fragose deflagrans. Quandoque, præsertim luminis actione, sponte strepitu ingente destruitur.

Perfecte solvatur in novem partibus ætheris cum una parte spiritus commixtis.

QUASSINA.

R. Ligni quassiæ divisi. . . . . . . Q. V.

Quassia primum infusionibus in aquam iteratis exhauriatur, deinde solutiones balneo aquæ concentrentur, ita ut earum pondus quassiæ adhibitæ pondus non excedat. Liquori refrigerato hydras calcicus superaddatur donec liquidum alcalinum fiat, quo facto, seponatur per quatuor et viginti horas et filtretur. Solutio balneo aquæ evaporetur ad consistentiam extracti, quod alcohole rectificato dein exhaurietur. Solutio alcoholica filtrata destilletur, extractumque ad siccitatem evaporatum dissolvatur in quantitate alcoholis absoluti quam minima fieri potest, quo facto, solutio æquali volumini ætheris sexagesies multiplicato admisceatur. Filtra, ætherem destilla, extractumque ad siccitatem evapora. Iterum tunc in æthere dissolvatur,

solutioque in aquæ parvam quantitatem immittatur. Quo facto, quassina post aliquod temporis intervallum separabitur.

Crystalli prismaticæ, albæ, aere immutabiles, odoris expertes, peramaræ. Sunt fusibiles, et frigore in massam pellucidam, flavescentem ac valde fragilem convertuntur. Calore intense fuscescunt ac carbonescunt, nullumque residuum incineratione præbent. Quæ crystalli in aqua parum, in alcohole vero et in æthere facillime solvuntur. Solutio alcoholica chartam exploratoriam rubram non mutat. Solutio in acido acetico diluto, neque bi-iodureto potassico, neque acido phospho-molybdico turbatur.

RADIX ALTHÆÆ.

Ea radix adhibetur partibus externis cinerei coloris purgata. In fragmentis occurrit digiti crassitudine, subfibratis, fragilibus, odoris nullius, saporis dulcis, mucilaginosi, subamari.

Colligendæ sunt radices e plantis annosioribus.

RADIX ANGELICÆ.

Radix carnosa, fusiformis, pollicem et ultra crassa, rugosa, radicellis instructa numerosis, longis, implicatis, superne calamum scriptorium circiter crassis, extra nigro-fusca, intus albida, odoris grate aromatici, saporis subdulcis, aromatici, subacris et amaricantis.

Longitudinaliter secta in canalibus exiguis subflavam prodit gummi-resinam.

Ne substituatur radix angelicæ sylvestris L., odoris et saporis multo debilioris.

RADIX APII.

Radix carnosa, fusiformis, pollicem circiter crassa, extra cinerei coloris, intus alba, saporis aromatici, amari.

RADIX ARMORACIÆ.

Radix carnosa, longa, fusiformis, pollicem et ultra crassa, ramosa, nodulis rugisque transversis aspersa, externe subfusca, interne alba, succulenta, odoris penetrantis et pungentis, saporis acris et urentis.

Non adhibetur nisi recens.

RADIX ASPARAGI.

Hæc radix in inferiori rhizomatis horizontalis parte crescit; constat ex partibus carnosis, calamum scriptorium crassis, fulvis, nullius odoris, saporis subdulcis.

RADIX BARDANÆ.

Hæc radix fusiformis est, simplex vel subramosa, superne digitum et ultra crassa, cortice nigricante, intus albo fert medullam centralem spongiosam præbens. Recens odorem nauseosum et saporem dulciuscuium, mucilaginosum, amarum.

Rejicienda annosior, lignosa, mucida.

Hæc radix e plantis biennibus nondum caulescentibus colligenda est.

RADIX BELLADONNÆ.

Hæc radix duo ad quinque centimetra et ultra crassa est, plus minusve ramosa et carnosa, leviter annulata, extra e flavo fusca aut cinerea, intus albida, odoris ingrati, virosi, saporis cum acredine exigua subdulcis et paululum adstringentis.

Radix stirpium adultarum, quæ jam pubescere desierunt, autumno effodienda.

Celeriter cauteque siccanda et in vasis clausis, loco sicco, servanda.

RADIX BISTORTÆ

Radix cylindrica, subcompressa, inflexa, digitum circiter crassa, superficie veluti annulata, extra nigro-fusca, intus rubra et carnosa, odoris fere nullius, saporis peradstringentis.

RADIX BRYONIÆ.

Hæc radix in segminibus circinatis vel fragmentis tenuibus venalis prostat. Alba est, carnosa, odoris nullius, valde amara, rugis centri communis apprime impressis aspersa.

RADIX CAINCÆ.

Radix cylindrica, ramosa, cum fasciculis lignosis in cortice apparentibus; 5 ad 12 centim. longa, divisionibus plus minusve tortis, usque ad digitum crassis, rugosa, nodosa, externe subfusca, intus albida vel subflavescens, lignosa, tenax, odoris debilis ingrati, saporis aromatici, amariusculi, subacerbi. Pars centralis fere insipida et inodora est.

Ne confundatur cum radice caincæ falsæ, cujus lignum vel pars centralis colore luteo tingitur.

RADIX CICHOREI.

Radix ramosa, circiter 3 centim. crassa et 30 centim. longa, intus albida, carnosa, odoris nullius, saporis valde amari.

Secundo anno colligenda est eo imprimis tempore quo succo lacteo præcipue abundat.

RADIX COLUMBO.

Hæc radix in fragmentis vel in segmentis suborbicularibus adfertur inæqualibus, quandoque perforatis, crusta indutis rugosa, plus minusve e fusco flava. Huic crustæ subducitur annulus solidior, linea circinata saturatioris coloris finitus. Pars media sive medullosa depressiones ad idem centrum pertinentes ostendens, est spongiosa, farinosa, e flavo viridis. Hujus radicis odor debilis, aromaticus, sapor peramarus, mucilaginosus.

Ex America et insula Java veniunt falsæ radices columbo, intus non flavo-virides et amylo carentes; hinc iodi tinctura inspersæ colorem cœruleum, radicis genuinæ instar, non induunt.

RADIX CYNOGLOSSI.

Radix fusiformis, carnosa, simplex vel ramosa, superne 3 ad 8 centim. crassa, externe fusca, intus alba, recens odoris nauseosi, saporis fatui, mucilaginosi.

Servetur in loco sicco.

Radix e planta bienni nondum germinante colligenda est.

RADIX FOENICULI VULGARIS.

Radix fusiformis, carnosa, digitum crassa, annulata, in medio axi lignoso prædita, quo distinguitur a radice petroselini.

RADIX GELSEMII.

Venales sæpius exhibentur radices et rhizomata commixta sub formam frustulorum variæ longitudinis, crassitudinis vero inter 1 et 3 centimetra variantis, odore proprio carentium, saporem subamarum præbentium.

Radicum, quibus medulla deest, fragmenta sunt plus minusve obscure ex flavo cinerea, sæpeque in se retorta. Superficies rugosa insignitur fissuris sulcisque irregularibus et longitudinalibus, simul ac cicatricibus radicularum multis.

Fragmenta vero rhizomatum plerumque apparent recta, clare ex flavo subfusca, virgis longitudinalibus saturatioribus notata, fracturam fibrosam exhibentia.

RADIX GENTIANÆ.

Radix cylindrica, longa, ramosa, carnosa, superne digitum et ultra crassa, siccata in segmentis allata variæ magnitudinis, partem corticalem e fusco flavam, et partem internam porosam, flavam vel aurantiacam præbentibus, odoris proprii, saporis primum dulciusculi, dein amarissimi.

RADIX HELENII.

Radix carnosa, crassa, cylindrica, ramosa, fibris filiformibus albis et copiosis obsessa, extra subrugosa, intus subrufa, albida, punctis subrufis quasi resinosis adspersa, dura, fragilis, odoris fortis haud ingrati, violam odoratam redolentis et saporis acriculi, amari, faucibus diu adhærentis.

RADIX IPECACUANHÆ.

Radix cylindrica, culmum stramineum usque calamum scriptorium crassa, dura, varie inflexa, annulis prominentibus in cortice

rimisque profundis distincta, externe e saturatius vel pallidius fusco cinerea, intus e luteolo alba, saporis subamari, acris, nauseosi. Meditullium, a quo cortex crassissimus et friabilis facile separatur, lignosum, subflavescens, insipidum, rejiciendum est.

RADIX LAPATHI ACUTI.

Radix carnosa, longa, fusiformis, simplex vel ramosa, superne digitum ad pollicem crassa, externe subfusca, intus luteola, inodora, saporis amaro-acris, subadstringentis. Masticata salivam flavo colore tingit.

RADIX LIQUIRITIÆ.

Radix lignosa, prælonga, ramosa, cylindrica, 1 ad 2 centim. et ultra crassa, vestita cortice e cinereo-fusco, siccatione sulcato.

Transversim secta partem exhibet corticalem tenuem, et systema centrale læte flavum, radiatum, stratis circularibus duobus distinctum. Recens odoris est dulcis, saporis primo dulcissimi, dein amari, tum subacris et ingrati.

RADIX POLYGALÆ SENEGÆ.

Radix 2 ad 5 millim. crassa, varie torta et inflexa, rugosa, paululum dilatata, præsertim in collo, quod coronam exhibet, cortice tenaci, crasso, resinoso, e cinereo-flavescente instructa, intus albida, odoris vix ullius, saporis primum fatui et mucilaginosi, mox substyptici, dein ex amaro acris.

RADIX PYRETHRI.

Radix in frustulis plus minusve longis, calamum scriptorium ad digitum minimum crassis, dura, rugosa, extra subfusca, intus albida, odoris expers, saporis acris, urentis.

Radix anacycli officinarum Hayn., quæ radix pyrethri germanici vocatur, tenuior, extra e cinereo fusca, minus rugosa et fibris filiformibus notata.

RADIX RATANHIÆ.

Radix lignosa, ramosa, ramis teretibus, longis, 1 ad 3 centim. crassis, passim tenuioribus, sub finem in fibrillas tenuissimas coarctatis, cortice crassiusculo, rubro-violaceo, inodoro, saporis peradstringentis, amari. Masticata salivam colore obscure rubro tingit.

Rejiciatur pars centralis lignosa, insipida et nulla virtute medicinali prædita.

RADIX RHEI.

Occurrere debet in segmentis teretibus vel complanatis, decorticatis, quæ vitri augentis ope perspecta, rhombos in superficie et maculas radiatas in textura exhibent. Sunt ponderosa, extrinsecus sordide luteola, fractura compacta, introrsum striis multifariam contortis et intricatis alterne rubris et albis instructa, odoris peculiaris, saporis amari, subastringentis. Masticata hæc segmenta inter dentes strident et salivam colore croceo tingunt.

Eligenda sunt caute fragmenta sincera, rejicienda autem fusca, cariosa vel mucida.

RADIX RUBIÆ.

Radix longa, ramosa, calamium scriptorium crassa, cortice vestita parum crasso, saturate rubro, intus fusco-rubra, odoris fere nullius, saporis substyptici, amari.

RADIX SAPONARIÆ.

Radix longa, teres, calamum scriptorium, quin ultra crassa, geniculata, ramosa, carnosa, crusta e rubro flavescenti tecta, odoris vix ullius, saporis ab initio subdulcis, dein amaricantis et subsalsi.

RADIX SARSAPARILLÆ.

Radix prælonga, lignosa, teres, calamum scriptorium circiter crassa, flexilis, subrugosa, facile juxta longitudinem discindenda, corticem crassum valde rugosum, intus roseum, externe fusco-cinereum, meditullium album amylaceum exhibens.

Inodora est et saporis farinosi, submucilaginosi, amaricantis.

Plures apud mercatores sarsaparillæ species prostant; harum præ-

stantissima sarsaparilla de Honduras, cujus fibræ radicales longissimæ sunt.

Rejiciantur radices pallidæ, intus nigricantes, nimis porosæ, cariosæ, insipidæ.

RADIX SCAMMONIÆ.

Radicis segmenta cylindrica, 5 ad 7 centim. longa, crassa, lignosa, sæpe in spiram intorta, cortice rugoso, striato, e fusco cinereo. Introrsum pallide fusca est, dura, resinosa, odoris debilis, saporis jalappæ similis.

Huic radici non minus quam 5 pro 100 resinæ insint. Ne confundatur cum radice turpethis, cujus interna pars numerosis foraminibus conspersa est, cortex vero fibrarum fasciculos ita habet dispositos ut extrinsecus veluti prominentiæ teretes præbeat.

RADIX SERPENTARIÆ.

Radix fibrillis constans numerosis, intricatis, e capitulo communi brevi emergentibus, 8 ad 10 centim. longis, filiformibus, fragilibus. crusta e viridi fusca vestitis, intus albidis, odoris fragrantis, camphoracei, saporis acris, aromatici.

Ne confundatur cum radice spigeliæ marylandicæ L., quæ fibrillis tenuissimis, fuscis, fere inodoris et sapore nauseoso, amaro distinguitur.

RADIX SQUINÆ.

Radix geniculata, tuberosa, subcompressa, ponderosa, 12 ad 20 centim. longa, 3 ad 4 centim. crassa, sub cortice tenui, e rubro-fuscescente, lignum efferens albo-rubellum vel rufescens, structuræ plus minusve porosæ. Odoris est quasi nullius, saporis farinacei, subdulcis.

RADIX SYMPHYTI.

Radix subramosa, digitum circiter crassa, spongiosa, fragilissima, extra nigro-fusca, intus alba, odoris fere nullius, saporis fatui et mucilaginosi, postea subadstringentis.

RADIX TARAXACI.

Radix, e plantis annosioribus colligenda, cylindrico-fusiformis, superne digitum crassa, elongata, sæpius ramosa, radicellis undique obsessa, extra fusca, intus albida, odoris fere nullius, saporis dulcis amariusculi.

RADIX THAPSIÆ.

Adfertur hujus radicis tantum cortex, tum convolutus, tum in frustis parvis, inæqualibus, fragilibus, 4 à 10 millimetra crassis ; odoris est nulli, saporis acerrimi et amarissimi, extra planus vel rugosus, e flavo fuscus, intus levis et albidus, tenuiter striatus, maculis subrubris longitudinalibus insignatus.

Ne confundendus cum cortice ferulæ modifloræ L., extra colorem fere nigrum præbentis.

Caute servetur.

RADIX VALERIANÆ.

Radix brevissima, radiculis instructa tenuissimis, extus e fusco cinerea, intus albida et subcarnosa, odoris graveolentis, peculiaris, subnauseosi, saporis acris, amari. Colligenda est in locis montanis et siccis, ac in vasis clausis servetur.

REALGAR.

Adfertur in massis amorphis, aurantiaco-rubris, nitentibus, inodoris ac insipidis. Cæteris characteribus cum arsenico sulphurato luteo congruit.

RESINA JALAPPÆ.

R. Tuberum jalappæ concisarum . . .	Q. V.
Alcoholis 92°.	Q. S.

Jalappa in cribro setaceo posita aquæ frigidæ per biduum immergatur. Leviter exprime, in frustula minuta abscinde atque ope alcoholis extrahe. Tincturis limpidis commixtis, alcohol destillando separetur ; liquorem reliquum et resinam subsidentem e vase destillatorio effunde in aquam fervidam ; liquidum aquosum rejice, et

residuum aqua ablue donec hæc defluat coloris expers; dein balneo vaporis sicca donec massa frigefacta fragilis sit.

Substantia est resinosa, friabilis, e flavo fusca, fracturæ splendentis, in æthere fere insolubilis. Alcohole 75° et solutione potassæ causticæ plane solvitur. Prunis inspersa odorem non spargit terebinthinaceum. Solutio alcoholica, hypochlorureto sodæ liquido guttatim instillata, non turbatur sedimento cæruleo vel viridi.

RESINA SCAMMONIÆ.

Paretur e radice scammoniæ uti resina jalappæ.

Est pallide fusca, friabilis, fracturae splendentis, pene inodora et insipida, in aqua non solubilis, in spiritu, in æthere, in chloroformio et in liquoribus alcalinis causticis perfecte, in essentia terebinthinæ vero vix solubilis. Liquor alcoholicus neque hypochloritibus alcalinis neque acido nitrico coloratur.

RESINA THAPSIÆ.

R.	Corticis radicis thapsiæ	Q. V.
	Alcohol ad 92°	Q. S.

Corticem concisum aqua calida ablutum et leni colore siccatum sæpe iterando ope alcoholis bullientis extrahas. Tincturas inde paratas commixtas balneo mariæ ad extrahendum alcoholem destilla, residuum aqua calida lotum et refrigeratum ope alcoholis frigidi ad 92° extrahe, cola et inspissa balneo aquæ, donec resinam ad consistentiam mellis obtineas.

Servetur in vitro clauso.

N. B. Spiritus ab hac compositione relictus ne adhibeatur ad alias præparationes medicas.

Sit resina mellis densitate, fere inodora, translucida, flavescens, in spiritu frigido concentrato perfecte solubilis.

RHIZOMA ASARI.

Rhizoma inordinate quadrangulum, calamum corvinum circiter crassum, per intervalla nodis notatum, a quibus oriuntur radiculæ numerosæ, quæ abripiendæ sunt. Color extrinsecus fuscus, intus ex albo flavescens; odor gravis, aromaticus, ad valerianam accedens; sapor ex amaro acer, nauseosus.

RHIZOMA CALAMI AROMATICI.

Rhizoma carnosum, 2 centim. circiter crassum, subcompressum, geniculatum, cicatricibus numerosis notatum, extra pallide fuscum, intus spongiosum, roseum, odoris fragrantis grati, saporis aromatici, acris, amariusculi. Siccetur non decorticatum.

RHIZOMA CARYOPHYLLATÆ.

Rhizoma e capitulo brevi coniformi, digitum circiter crasso, subfusco, radiculas numerosas, tenuissimas, longas, imprimis e parte superiore emittens. Intus est coloris ex albo rubelli, odoris aromatici ad caryophyllum accedentis, saporis amari et adstringentis.

RHIZOMA CURCUMÆ.

Rhizoma adfertur tum in tuberibus subglobosis vel ovatis, nucem juglandem æquantibus, tum in frustis cylindricis, digitum crassis, nodosis, densis, ponderosis, extra e luteo fuscis, intus aurantiaco flavis, in fracturæ loco puncta resinosa nitida exhibentibus, odoris modice fragrantis, proprii, saporis acris, aromatici, amari. Charta infusione aquosa vel solutione spirituosa curcumæ picta, a quavis substantia alcalina rubore ad nigrum vergente tingitur.

RHIZOMA FILICIS.

Rhizoma squamis paleaceis ferrugineis et stipitum reliquiis incrassatis tectum, quæ reliquiæ intus subvirides sunt ut ipsum rhizoma, quod fasciculis octo fibro-vascularibus præditum est, externe atrofuscum, siccitate rubellum, saporis et odoris ingrati.

Ne confundatur cum rhizomatibus duo tantum fasciculos exhibentibus, ut sunt rhizoma asplenii filicis feminæ, obliquum, siccitate a trum, stipitum reliquiis minus apparentibus; rhizoma pteridis aquilinæ, minus crassum, haud paleaceum, intus album; rhizoma denique polystichi spinulosi, ejusdem intus et extra coloris.

Rhizomata sunt effodienda in sylvis montosis, lapidosis, sub finem hyemis vel incipiente autumno, remotis fibrillis paleisque; nec ultra annum serventur.

RHIZOMA FRAGARIÆ.

Rhizoma cylindrico-fusiforme, 6 ad 9 centim. longum, superne squamis læte ferrugineis tectum, subtus fibris longis, filiformibus, fuscis, obsitum, intus e flavo-rubellum, inodorum, saporis astringentis.

RHIZOMA GRAMINIS.

Rhizoma prælongum, teres, fistulosum, nodosum, glabrum, articulos squammosos et radiculas tenues prænumerosas emittentes præbens, extra ex albo flavescens, introrsum album et succulentum, odoris vix ullius, saporis subdulcis ad saccharum vergentis.

Rejiciantur rhizomata insipida. Siccentur radiculis ablatis.

RHIZOMA HELLEBORI NIGRI.

Rhizoma subrotundum, nigro-fuscum, 3 ad 4 centim. circiter crassum, annulis distinctus brevibus, geniculatis, e quibus prodeunt radiculæ numerosæ, prælongæ, intricatæ, e fusco nigricantes, intus albidæ vel flavescentes, saporis primum debilis, dein acris, nauseosi. Fibrillæ minores crassioribus ipsoque rhizomati virtute præstant medica.

Ne confundatur cum radicibus actææ spicatæ, adonidis vernalis, hellebori viridis aut fœtidi.

RHIZOMA IRIDIS FLORENTINÆ.

Rhizoma decorticatum adfertur in frustis oblongis, compressis, inæqualibus, 3 centim. et ultra crassis, plus minusve nodoso-ramosis, ponderosis, duris, ex albo flavis, cum punctis fuscis, odoris violacei, saporis mucilaginosi, fatui, amaricantis, subacris. Cum rhizomatibus varietatis vilioris sæpe adulteratur, quare odoratissima eligenda.

Servetur in loco sicco, aere libero.

RHIZOMA PODOPHYLLI.

Rhizoma radicibus instructum in frustis prostat compressis, 2 ad 20 centim. longis, 5 ad 10 millimetra in maximo diametro latis, articulos nodosos nótis depressis insignes præbentibus, superficie

rugis obliquis præditis, cinereis vel e rubro fuscis, intus albis et farinosis, saporis acris, amari et nauseosi, odoris ingrati.

Radices tenues, fragiles, coloris pallidioris quam rhizoma, easdem virtutes præbentes.

Centum podophylli partes 3 ad 5 podophyllini contineant. Caute servetur.

RHIZOMA TORMENTILLÆ.

Rhizoma teres, superne 2 ad 3 centim. crassum, 6 circiter centim. longum, nodosum, fibris copiosis, longissimis, rigidis obsessum, extrinsecus fusco-rubrum, introrsum plus minusve saturate rubrum, densum, spongiosum, inodorum, saporis valde adstringentis.

RHIZOMA VERATRI ALBI.

Rhizoma tuberculosum, conicum, obtusum, rugosum, 2 centim. crassum, 4 ad 5 centim. longum, plus minusve radiculis tenuibus plerumque exigue resectis tectum, extrinsecus e luteo fuscescens, intrinsecus albidum. Odor fere nullus, sapor primum nauseoso-amarus, dein acerbus et urens.

RHIZOMA ZEDOARIÆ.

Rhizoma adlatum tum in tuberibus subglobosis vel segmentis hemisphæricis, tum in frustis oblongis aut disciformibus, 3 ad 6 centimetra longis, hinc planis, inde convexis, rugosis, ponderosis, extra dilute fuscis, intus ex flavo rubellis, cum punctis resinosis, odoris fragrantis, subcamphoracei, saporis acris, amaricantis.

RHIZOMA ZINGIBERIS.

Zingiber venale, cortice resecto, in segmentis prostat 4 ad 5 cent. longis, complanatis, ponderosis, tuberoso-nodosis, extra ex albo flavescentibus, intus ex rubro aut albido flavis, odoris grate camphoracei, saporis aromatici, fervidi.

Rhizoma arte dealbatum cariosum seu saporis debilis, adhibere non licet.

SACCHARUM.

Substantia sit alba, inodora, sicca, dura, in aere non mutans, in dimidia parte aquæ frigidæ, in quavis fervidæ solubilis; in alcohole quo magis rectificato eo minus solvitur. Solutio aquosa neutra est; chlorureto barytico necnon nitrate argentico vix turbatur. Pro usu pharmaceutico saccharum raffinatum solum adhibeatur.

SACCHARUM LACTIS.

Glebæ crystallinæ albidæ, subdiaphanæ, saccharo communi duriores, inter dentes stridentes, odoris expertes, saporis levis grate dulcis. Pondus specificum 1,543.

Solvitur in aquæ frigidæ partibus octo et vix in spiritu vini bulliente. Cum acido nitrico calefactum acidum mucicum præbet. Flavescens aut sordidum omnino rejiciatur.

SALICYLAS SODÆ.

Pulvis crystallinus albus, odoris nullius, saporis salsi proprii, in aquæ non omnino æquali parte, in alcoholis vero partibus sex solubilis, in aere immutabilis.

Solutio aquosa est neutra, coloris nullius, nec acido sulphohydrico turbatur. Balneo mariæ evaporata residuum perfecte album exhibet.

Subito in lamina platinica calefactum, sal istud phenolis odorem spargit; cum flamma fuliginea ardet, et facta incineratione sedimentum præbet album, in aqua solubile et valde alcalinum.

SANGUIS DRACONIS.

Hæc resina in baculis, in lacrymis, vel ut plurimum in massis variæ magnitudinis et foliis palmarum involutis adfertur. Genuina fragilis, extra obscure fusco-rubra, intus dilutior, fracturæ granulosæ, nitentis, in frustis minoribus subpellucida, odoris expers, saporis adstringentis. Ejus pulvis, coloris cinnabarini, si uratur, odorem styraceum spargit. Sanguis draconis in aqua insolubilis est, at in spiritu vini fere totus solvitur, solutione atro-sanguinea.

SANTONINA.

Crystalli prismaticæ vel foliaceæ, albæ, nitentes, insipidæ, vix aqua frigida, facillime alcohole bulliente et chloroformio solubiles. Solutio alcoholica chartam exploratoriam rubram cœruleo non tingit; cum kali caustico liquorem præbet coccineum. Santonina luce colorem induit flavum; ad calorem rubrum in aere calefacta omnino avolat; in acido sulphurico concentrato soluta, crystallis bichromatis potassici additis non coloratur. In loco obscuro servetur.

SAPO ANIMALIS.

E sebo et soda paratur.

Est albus, odoris non ingrati, fere sine residuo in aqua destillata et in spiritu ad 90^e bulliente solubilis.

Solutio saponis in septem partibus spiritus post refrigerationem massam firmam gelatinosam præbet.

Cum proto-chlorureto hydragyri contritus non nigrescit; ad 100° siccatus, sulphureto carbonis affuso nullam substantiam adiposam cedit. Solutio aquosa sulpho-hydrate ammonico non coloratur. Centum saponis partes ad summum viginti partes aquæ contineant.

SAPO JALAPPINUS.

R.	Resinæ Jalappæ.	4
	Saponis medicati	4
	Alcoholis.	8

Misce et in balneo vaporis sub continua agitatione ad massam pilularem evapora ut sint partes novem.

SAPO MEDICATUS.

Elementa præcipua hujus saponis sunt oleum olivarum et soda.

Est albus, odoris non rancidi, in aqua destillata et in spiritu frigido perfecte solubilis. Cum proto-chlorureto hydrargyri contritus non coloratur. Ad 100° siccatus, sulphureto carbonis bullienti oleum non cedit. In aqua solutus sulphohydrate ammonico non coloratur. Centum hujus saponis partes ad summum viginti partes aquæ contineant.

SAPO VIRIDIS.

Præcipua hujus saponis elementa sunt oleum seminum et kali.

Massa e fusco viridis, diaphana, mollis, lubrica, odoris peculiaris, in aqua et in spiritu solubilis.

Solutus chartam acetate plumbico imbutam ne nigrescat.

SEBUM.

R. Omenti ovis pinguis . . . . Q. V.

Paretur sicut axungia.

SECALE CORNUTUM.

Grana subcylindrica vel trigona, obtusa vel apice attenuata, plus minusve curvata, sæpe longitudinaliter sulcata, 2 ad 3 centim. longa, extra e violaceo-nigrescentia, intus albida, farinosa, inodora, saporis debilis, nauseosi, amariusculi.

Secale cornutum in ipsis agris sereno cœlo legendum, et siccatum in vitris siccis optime clausis servandum.

Odorem fœtidum spargens aut ab insectis corrosum rejiciatur.

SEMEN AMYGDALI.

Amygdalæ dulces nuclei sunt ovati, compressi, acuti, intus albi, externe epidermide tenui, scabra, rubro fusca tecti, odoris fere nullius, saporis grati, oleoso-mucilaginosi.

Amygdalæ amaræ conveniunt cum dulcibus excepto sapore, qui in hisce est amarus, et odore laurocerasi quem humectatæ spargunt.

Sint recentes, siccæ, omnino sinceræ. Veteres rancidæ fiunt et maculis flavis intus notantur.

SEMEN CACAO.

Semina ovato-oblonga, paulum compressa, dura, fere amygdalarum magnitudine, sub cortice chartaceo, rugoso, fragili, nucleum fusco-rubrum, marmoreæ texturæ, nitentem, unguinosum, friabilem, oleosum includentia, odoris vix ullius, saporis proprii, grati, amariusculi. Sint recentes et torosi.

SEMEN CALABARIENSE.

Semina oblonga, subreniformia, fusca vel e rubro fusca, inodora, fere insipida, vix rugosa, latere uno leviter incurva, altero vero valde convexa, sulco nigro et rugoso notato, dua et dimidium centimetra longa, dua circiter lata, unum ad unum et dimidium crassa.

Caute servetur.

SEMEN COLCHICI.

Semina sunt brassicæ campestris seminis magnitudinem æquantia, subglobosa, prædura, rugosa, ex fusco nigrescentia, inodora, saporis peramari simulque insigniter acris. Matura sunt colligenda; quæ vero coloris sunt pallidi vel subflavi rejiciantur.

Caute serventur.

SEMEN CROTONIS TIGLII.

Semina phaseoli magnitudine, ovata, uno latere magis gibba, levia, nucleum oleosum in epidermide e nigro-fusca, fragili continentia, cinereo flavescentia, cotyledonibus duobus prædita, saporis peracris, ferventis, nauseosi.

Caute servanda sunt, eaque rejicienda quorum nucleus mucidus vel atrophus est.

SEMEN CYDONIÆ

Semina oblongo-acuta, compressa, 4 ad 5 millim. longa, indumento perglutinoso, fuscescente, non nitido et nucleo albido prædita; ea semina odoris sunt expertia, saporis fatui. Ne confundantur cum seminibus pyri communis vel mali, quæ nitentia sunt et indumento mucilaginoso carent.

SEMEN FOENI GRÆCI.

Semina parva, obtusa, subtetragona, compressa, utrinque sulco obliquo notata, ex flavo vel e rubro fusca, odoris proprii submelilotini, saporis mucilaginosi, amaricantis.

SEMEN HORDEI.

Semen integrum, prout colligitur, hordeum crudum vocari solet; quod cortice molendo exutum est, hordeum mundatum, et quod mola in formam sphæricam redactum, hordeum perlatum dicitur.

Hordei semina primæ germinationi subjecta, dein vel aere libero, vel furni ope siccata, malthum sistunt.

SEMEN HYOSCIAMI.

Semina perparva, compressa, orbiculari-subreniformia, foveolis reticulata, rugosa, cinerea vel ex ochroleuco fusca, fere inodora, saporis nauseosi, amari et oleosi. — Caute servanda.

SEMEN LINI.

Semina parva, oblongo-ovata, compressa, nitida, sub epidermide membranacea tenaci nucleum albidum, oleosum includentia, odoris vix ullius, saporis ingrate dulcis et oleosi.

SEMEN SABADILLÆ.

Semina oblonga, exigua, subteretia, 5 ad 6 millim. longa, rugosa, incurva, latere uno subplana, altero convexa, margine acuto, fusco-nigra, nitida, intus albida, inodora, saporis acerrimi, urentis, ingrate amari. Caute serventur.

SEMEN SINAPIS ALBÆ.

Semina minuta, globosa, flavescentia aut ex flavo albicantia, subnitentia, inodora, saporis oleosi, acris.

SEMEN SINAPIS NIGRÆ.

Semina parva, subrotunda, subcompressa, striata, extra fuscescentia, interne flava, inodora, trita autem et humectata, odoris acris nares ferientis. Horum seminum sapor subamarus, acer.

SEMEN STAPHYSAGRIÆ.

Semina grisea aut pallide fusca, inordinate trigona vel tetragona, lentis circiter magnitudine, incurva, compressa, admodum rugosa, hinc convexa, inde plana, cum sutura prominula, nucleum oleosum,

albo-luteum includentia, odoris ingrati, saporis nauseosi, peramari, peracris. Caute serventur.

SEMEN STRAMONII.

Semina nigra, reniformia, subrugosa, ad magnitudinem fructus anisi viridis, inodora, saporis nauseoso-amari, acris.

Plane matura colligantur et caute serventur.

SERUM LACTIS.

R.	Lactis vaccini puri	1,000
	Solutionis acidi citrici in decem aquæ partibus	Q. S.

Lacti ferventi sensim acidi citrici solutionis quantitatem affunde sufficientem ad coagulandum.

Cola non exprimendo, et liquori tepido albumen ovi in parva copia aquæ dilutum adde; iterum coque, tantulum aquæ frigidæ affunde, tum liquorem defæcatum per chartam aqua fervida lotam cola.

SODA CAUSTICA FUSA.

Frusta plerumque inæqualia, alba seu cinerescentia aut flavescentia, aere magnopere mutabilia, fere plane in aqua et spiritu solubilia. Quam minimam carbonatis sodæ et salium alienorum copiam contineat. Solutio aquosa acido tartarico excedente ne turbetur; acido chlorhydrico supersaturata, parvulum tantum acidi carbonici copiam emittit, odorem acidi sulpho-hydrici aut sulphurosi haud spargendo.

Hæc solutio ad ebullitionem calefacta non turbatur, nec chlorureto platinico, nec acido sulpho-hydrico præcipitatur.

Unum sodæ causticæ gramma saturet ad minimum 23 ad 24 c. c. acidi oxalici normalis.

SODA CAUSTICA SOLUTA.

R.	Sodæ causticæ	300
	Aquæ destillatæ	700
		1,000

Misce.

Liquor limpidus, coloris et odoris expers, saporis valde alcalini, ponderis specifici 1.33 ad 1.34. Reactiones sodæ causticæ fusæ præbet.

Hujus liquoris gramma unum saturet 6.9 ad 7 c. c. acidi oxalici normalis.

SPARADRAP ICHTHYOCOLLÆ.

R.	Ichthyocollæ	60
	Aquæ	500
	Spiritus vini ad 60°	440
		1,000

Ichthyocollam in parvis segminibus divisam in aquæ quantitate præscripta per viginti quatuor horas macera. Tum spiritum adde, balneo aquæ in vase clauso calefac, et solutione facta, per linteum cola.

Præterea fasciis e tela bombycina, taffetas dicta, nigris, albis aut roseis, prout colorem voles, super quadratum ligneum expansis, ope penicilli liquorem gelatinosum calefactum induce. Exsicca, et per vices iterando fasciis eandem solutionem induce donec satis illitæ sint. Tela exsiccata in parvis fasciis orthogoniis secetur.

SPARADRAP SIMPLEX.

R. Emplastri adhæsivi . . . . Q. S.

Liquefiat balneo aquæ et supra fascias linteas extendatur.

SPARADRAP THAPSIÆ.

R.	Ceræ flavæ	382
	Colophonii	137
	Picis burgundicæ	137
	Terebinthinæ coctæ	137
	Terebinthinæ	46
	Glycerinæ	46
	Mellis	46
	Resinæ thapsiæ	69
		1,000

Quinque primas substantias simul liquefactas per linteum cola; glycerinam, mel et resinam thapsiæ adde; misce accurate, et supra fascias linteas extende.

SPARADRAP VESICANS.

R. Emplastri cantharidum . . . . . . Q. V.

Emplastrum balneo aquæ liquefactum supra fascias linteas ceratas extendatur.

SPECIES.

Medicamina quibus componuntur species intime misceantur. Quare perfecte æqualiter et separatim incidenda et contundenda sunt, quantum necesse est; pulvis separetur, nisi aliter præscriptum fuerit.

In vase operto serventur.

SPECIES AD SUFFIENDUM.

R. Olibani.	300
Benzoes.	300
Succini.	300
Florum lavandulæ.	100
	1,000

SPECIES AMARÆ.

R. Herbæ cardui benedicti,
Id. chamædryos,
Id. absinthii,
Id. centaurii minoris, singularum partes æquales.

SPECIES AROMATICÆ.

R. Herbæ hyssopi,
Id. melissæ,
Id. menthæ crispæ,
Id. origani,
Id. rorismarini,
Id. salviæ,
Id. serpylli,
Florum chamomillæ romanæ,
Id. lavandulæ, singulorum partes æquales.

SPECIES DIURETICÆ.

R. Baccarum juniperi 600
Seminum fœniculi. 200
Radicis liquiritiæ 200
1,000

SPECIES EMOLLIENTES AD CATAPLASMA.

R. Foliorum althææ,
Id. malvæ,
Id. verbasci albi,
Summitatum meliloti,
Radicis althææ singulorum partes æquales.

SPECIES FLORUM PECTORALIUM.

R. Florum althææ,
Id. malvæ,
Id. gnaphalii,
Id. verbasci albi, partes aquales.

SPECIES LAXANTES.

R. Foliorum sennæ,
Folliculorum sennæ,
Herbæ capilli Veneris,
Seminum anisi,
Radicum liquiritiæ aâ partes æquales.

SPECIES LAXANTES SANCTI GERMANI.

R. Foliorum sennæ spiritu extractorum . 16
Florum sambuci 10
Seminum fœniculi 5
Seminum anisi. 5
Misce.
Quum dispensantur adjungantur.
Bitartratis potassici pulverati. 3

SPECIES SUDORIFICÆ.

R.	Ligni guajaci	400
	Radicis sarsaparillæ	200
	Id. squinæ	200
	Id. liquiritiæ	100
	Id. sassafras	100
		1,000

SPIRITUS AMMONIÆ ANISATUS.

R.	Essentiæ anisi	32
	Spiritus vini	776
	Ammoniæ	192
		1,000

SPIRITUS ANISI.

R.	Essentiæ anisi	10
	Spiritus ad 80°	990
		1,000

SPIRITUS CAMPHORATUS.

R.	Camphoræ	100
	Spiritus ad 80°	900
		1,000

Solve et filtra.

SPIRITUS CARMINATIVUS SYLVII.

R.	Herbæ majoranæ	25
	Corticis cinnamomi	25
	Nucis moschatæ	25
	Caryophyllorum	25
	Fructuum coriandri	50
	Alcoholis ad 80°	1,000
	Aquæ	500

Substantias solidas in pulverem crassum redactas per diem unum in spiritu et aqua macera, et destilla balneo aquæ, ita ut obtineas 1,000 partes ad 75°.

SPIRITUS CINNAMOMI.

R.	Essentiæ cinnamomi	10
	Spiritus ad 80°	990
		1,000

Misce.

SPIRITUS CITRI.

R.	Essentiæ citri	10
	Spiritus ad 80°	990
		1,000

Misce.

SPIRITUS COCHLEARIÆ.

R.	Herbæ cochleariæ florentis contusæ. .	800
	Radicis recentis cochleariæ armoriacæ in fragmentis concisæ.	200
	Spiritus ad 70°	1,000
	Aquæ	1,000

Fiat destillatio, sine maceratione prævia, ut eliciantur spiritus 1,000 partes ad 60°.

SPIRITUS LAVANDULÆ.

R.	Essentiæ lavandulæ	10
	Spiritus ad 80°	990
		1,000

Misce.

SPIRITUS MELISSÆ.

R.	Essentiæ melissæ	6
	Spiritus ad 80°.	994
		1,000

Misce.

SPIRITUS MELISSÆ COMPOSITUS.

R.	Herbæ melissæ officinalis	111
	Corticis citri recentis	28
	Nucis moschatæ	28
	Fructuum coriandri	28
	Caryophyllorum	14
	Corticis cinnamomi	14
	Alcoholis ad 80°	1,000
	Aquæ	800

Substantias solidas congruenter divisas per biduum in aqua et spiritu macera; destilla balneo aquæ ut eliciantur partes 1,000 ad 75°.

SPIRITUS MENTHÆ.

R.	Essentiæ menthæ.	10
	Spiritus ad 80°	990
		1,000

Misce.

SPIRITUS PRO ELIXIRIO GARI.

R.	Myrrhæ	1
	Croci	4
	Corticis cinnamomi	4
	Caryophyllorum	4
	Nucis moschatæ	4
	Alcoholis ad 80°	1,000
	Aquæ	100

Substantias solidas congruenter divisas per viginti quatuor horas in aqua et spiritu macera; destilla balneo aquæ donec exceperis liquoris 1,000 partes ad 75°.

SPIRITIS RORISMARINI.

R.	Essentiæ rorismarini	10
	Spiritus ad 80°	990
		1,000

Misce.

SPIRITUS SAPONIS.

R.	Saponis medicati rasi	200
	Spiritus ad 60°	800
	Essentiæ lavandulæ	3
		1,000

Agitando macera donec solutio perfecta sit et filtra.

SPIRITUS SERPILLI.

R.	Essentiæ serpilli.	10
	Spiritus ad 80°	990
		1,000

Misce.

SPIRITUS SINAPIS.

R.	Essentiæ sinapis	20
	Spiritus ad 80°	980
		1,000

Ex tempore paretur.

SPIRITUS THYMI.

R.	Essentiæ thymi	10
	Spiritus ad 80°	990
		1,000

Misce.

SPIRITUS VULNERARIUS.

R. Herbæ salviæ	. . . .	11
Id.	absynthii	11
Id.	nepetæ catariæ	11
Id.	hyssopi	11
Id.	melissæ	11
Id.	basilici	11
Id.	thymi.	11
Id.	rutæ	11
Id.	majoranæ.	11
Id.	rorismarini	11
Id.	origani	11
Florum lavandulæ	. . . . . .	11
Alcoholis ad 60°	. . . .	1,000
Aquæ	. . . .	Q. S.

Materias prius divisas per duodecim horas in spiritu et aqua macera, et leni calore destilla donec eliciantur 1,000 partes liquoris ad 50°.

SPONGIA CERATA.

R. Spongiæ officinalis lotæ et siccatæ. . Q. V.

Spongiam immerge ceræ flavæ liquatæ, et plane imbutam extemplo ope preli fortiter exprime. Quum refrixerit, e prelo exime, et ademta cera marginibus adhærente, servetur loco sicco.

SPONGIA COMPRESSA.

Spongiam tenuem et apprime lotam aqua tepida per aliquot horas madefactam et adhuc calidam funiculis circumductis fortiter constringe, gyris funiculi ita contiguis, ut nullus intersit spongiæ exitus. Constricta exsiccetur et in loco sicco servetur.

SPONGIA OFFICINALIS.

Ea spongia probanda quæ subflava est, levis, mollis, elastica, permultis foraminibus exiguis pertusa, concrementis lapideis vel conchyliis purgata.

STANNUM.

Metallum argenteum, apprime malleabile. Acido nitrico ponderis specifici 1.33 affuso in acidum metastannicum insolubile vertitur; liquor innatans aqua aut acido sulphurico diluto præcipitatum non edit, nec ammonia caustica excedente colorem cœruleam assumit. Miscela siccata singularum partium stanni et carbonatis sodici cum tribus azotatis sodæ partibus in crucibulo porcellaneo calefacta donec fusa sit, aqua partim solvitur. Solutio cum acido sulphurico excedente evaporata, posteaque in apparatum Marshianum instillata, crassamentum non edit metallicum. Pars quæ non sit soluta, aqua et spiritu diluto elota, acido chlorhydrico adjuncto in apparatu Marshiano nullum quoque crassamentum metallicum exhibet.

STROBILI LUPULI.

Strobili subrotundi vel oblongo-ovati, squamis compositi membranaceis, tenuibus, subpellucidis, mollibus, ex albido flavis, tactu viscidulis, basi lupulina repleti, odoris grati, balsamici, saporis amari. Rejiciantur quorum lupulina remota sit.

STRYCHNINA.

Crystalli prismaticæ, in aere persistentes, coloris et odoris expertes, saporis valde amari, hunc prabentes quum aliquod tempus in bucca remanserint, in aqua fere insolubiles, in spiritu diluto, chloroformio et acidis dilutis solubiles, in æthere, in spiritu absoluto et in potassæ, sodæ et ammoniæ solutionibus insolubiles. Ab acidis nitrico et sulphurico concentratis non colorantur. Solutum sulphuricum parva bichromatis potassici copia adjuncta colorem nimium e cœruleo violaceum trahit, qui color mox evanescit. Crystalli in lamina platinea calefactæ nullum relinquunt residuum.

Salium strychninæ solutiones, acidæ frigidæ carbonatibus alcalinis non præcipitantur, sed aqua chlori concentrata præcipitatum album in ammonia solubile et liquorem supernatantem decolorem præbent. Cautissime servetur.

STYRAX LIQUIDUS.

Styrax liquidus spissus, terebinthinæ consistentiæ, e viridi fuscus, opacus, odoris grati ad benzoen accedentis, saporis aromatici, calidi. In spiritu vini fervido fere omnino solvitur.

SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Massæ albæ, crystallinæ, subdiaphanæ, quæ sine labore pulverantur. Calefactus, circa 265° liquescit; circa 295° fervescit, et plane sine mutatione avolat. Sublimatione in octahedris cum basi orthogonia obtineri potest.

In sedecim partibus aquæ frigidæ, in aquæ ebullientis partibus tribus, in spiritus frigidi duobus partibus et dimidia, in ætheris partibus tribus solubilis. Acido sulphurico nec frigido nec calido commutatur.

Caute servetur.

SUCCINAS AMMONIÆ EMPYREUMATICUS LIQUIDUS.

R.	Acidi succinici medicinalis.	1
	Aquæ destillatæ	8
	Carbonatis ammoniæ	Q. S.

Acido aqua soluto et leviter calefacto adde carbonatem ammonicum ad perfectam saturationem. Liquidum refrigeratum filtra et serva in vitris parvis bene clausis.

Liquor limpidus, ponderis specifici 1.06, chartas exploratorias non mutans. Cum spiritus rectificati triplici quantitate mixtus pellucidus permanet. Nitrate argentico, chlorureto barytico aut acido sulphohydrico non præcipitatur, et, affuso acido sulphurico concentrato, odorem aceti non spargit.

Ad siccum evaporatus, calore rubro residui nihil relinquit.

SUCCINUM.

Frustula angulosa, obtusa, sæpius rotunda, coloris lætius profundiusve flavi, pellucida, nitentia, fragilia, fracturæ conchoïdeæ, prunis imposita odorem gratum, peculiarem spargencia. Pond. specif. 1.06 ad 1.11.

Succinum destillatione acidum succinicum amittit.

SUCCUS LIQUIRITIÆ DEPURATUS.

R. Succi liquiritiæ venalis bonæ notæ . . Q. V.

Bacillos liquiritiæ in frustula concisos disperge supra cribrum sericeum, quod immergis in vas haud profundun, quo continetur aquæ frigidæ quantitas sufficiens ut bacilli aqua plane sed non ultra obtegantur. Solutione peracta, quod post duos dies fieri solet, cribrum, partes insolubiles continens, caute removeatur et in balneo aquæ ad consistentiam pilularem solutio evaporetur.

Præparatum a succo liquiritiæ vix discrepans, saporis tamen suavioris, et in aqua fere penitus solubile. Sit a cupri vestigiis liberum.

SULPHAS ATROPINÆ.

R. Atropinæ	10
Ætheris.	270
Acidi sulphurici	1
Spiritus	10

Atropinam in æthere solve et acidum sulphuricum mixtum guttatim adde. Præcipitatum collige, lava cum æthere, donec chartam exploratoriam cœruleam non rubescat, in aere sicca et caute serva.

Pulvis crystallinus, albus, in aere persistens, in aqua et spiritu valde solubilis, in chloroformio, in æthere et in sulphureto carbonis insolubilis, super lamina platinea igni expositus plane avolans.

Solutio partis unius in sexaginta aquæ partibus non rubescit chartam exploratoriam cœruleam nec a carbonate ammonico præcipitatur; sed cum aqua bromata præcipitatum copiosum e rubro flavum edit, quod per bihoras sepositum in parvas crystallos mutatur. Partis unius in mille aquæ partibus solutio saporis est amari, nauseam movens et pupillam dilatans.

SULPHAS CADMII.

Crystalli prismaticæ, coloris et odoris expertes, saporis styptici, metallici, in aere fatiscentes, in aqua solubiles, sed non in spiritu. Solutio aquosa chartam exploratoriam cœruleam vix rubescens, cum

ammonia caustica præcipitatum album demittit, quod ammonia excedente non solvitur. Acido sulphurico acidulata, hæc solutio acidi sulpho-hydrici excedentis ope præcipitatum flavum in ammonia caustica insolubile præbet; liquor a præcipitato disjunctus et evaporatus nihil residui relinquit.

SULPHAS CUPRI.

Crystalli rhomboïdeæ, subdiaphanæ, cyaneæ, in aere sicco fatiscentes, in aquæ frigidæ partibus tribus et dimidia solubiles, in spiritu non solubiles.

Solutio aquosa acido sulphurico acidulata cum acido sulpho-hydrico superabundante et filtrata, liquorem præbet, qui evaporatus nihil residui relinquit.

Caute servetur.

SULPHAS CUPRO-AMMONIACALIS.

R. Sulphatis cuprici pulverati . . . . Q. V.

Sulphatem in vas vitreum cylindratum aut in ampullam longiori collo immitte et adde ammoniam donec sulphas cupricus et præcipitatum ab initio ortum plane soluta sint. Liquori tum alcoholis ad 92° duplex volumen caute affunde ita ut ambo liquores non misceantur, et vas clausum per plures dies, in loco frigido et obscuro, ut crystalli concrescant, sepone. Dein, liquido decanthato, crystalli spiritu vini abluantur, inter chartam bibulam leviter exprimantur et cito siccentur. In lagena recte clausa et denigrata serventur.

Crystalli prismaticæ, coloris intense cærulei, in aqua maxime solubiles, in alcohole concentrato non solubiles. Chartam exploratoriam curcumæ colore fusco tingunt. Igne facile, aere vero lente decomponuntur. Cum acidis non effervescunt nec maculis viridibus inquinatæ esse debent.

SULPHAS ESERINÆ.

Sal neutrum, plerumque squamiforme, flavescens, facillime liquescens, colorem rubrum in aere humido induens.

In aqua, in alcohole, et in æthere solvitur, nec residuum incineratione deponit. Solutio aquosa si cum potassa caustica excedente seu

cum soda ad centesimum dissoluta commisceatur, brevi rubescit; si vero cum ammonia excedente calefiat, iterum rubrum colorem assumit, ac per evaporationem residuum læte cœruleum præbet; hoc autem residuum cum acido sulphurico diluto commixtum, liquorem dat dichroïcum, scilicet violaceum pellucidumque si in illud lux transmittatur, splendide autem rubrum turbidumque si lux repercutiatur.

Sal istud caute servetur in lagena apprime clausâ et in loco sicco. Sal humidum colorisque rubri rejiciatur.

SULPHAS FERRI.

R.	Fili ferrei	100
	Acidi sulphurici.	150
	Aquæ destillatæ	750

Immitte paulatim filum ferreum in acidum aquæ mixtum.

Reactione cessante, liquor ebulliat ac per filtrum acido sulphurico diluto madidum fluat in lagenam, cujus latera interna guttulis aliquot ejusdem acidi asperseris. Liquorem filtratum agita et, vase obtecto, ad crystallisandum sepone. Crystallos collectas alcohole ablue et celeriter siccatas lagunculis obturatis serva statim ut anguli leviter efflorescunt.

Crystallos exhibet prismaticas, virides, saporis styptici, aere efflorescentes ac paulatim in pulverem flavescentem peroxydatione ferri dilabentes. In aquæ partibus duabus solubilis, in alcohole insolubilis.

Solutio aquosa acido chlorhydrico acidulata cum acido sulphohydrico colorem non mutat.

Crystalli cum acido nitrico diluto calori expositæ, postæa in aqua solutæ cum ammonia caustica excedente, filtratum præbent coloris expers, quod, evaporatum, residuum calore rubro plane evanescens relinquit.

SULPHAS FERRI SICCUS.

R. Sulphatis ferrosi crystallisati quantum vis.

Salem depositum supra catinum porcellaneum in caldario sicca,

donec massa in pulverem album et siccissimum redigatur. Serva in vase probe clauso.

Pulvis est albus, in aqua solubilis, reactiones easdem sulphate ferri crystallisati præbens.

SUB-SULPHAS HYDRARGYRI.

R.	Hydrargyri	2
	Acidi sulphurici	3

Calefac donec in sulphatem hydrargyricum plane siccum mutata sint; huic in pulverem tenuem redacto et in vas porcellaneum aut in cymbium fictile immisso affunde, cum spathula vitrea continue agitando aquæ bullientis quantum satis ita ut massa salina albicans plane vertatur in pulverem luteum, quem rite ablutum et siccatum, in vitro denigrato serves.

Pulvis luteus, in aqua parum solubilis, calore rubescens nec ullum residuum calore magno præbens.

SULPHAS MAGNESIÆ.

Sal in crystallis parvis, prismaticis, splendentibus, coloris expertibus, saporis salsi, amari.

Sulphas magnesiæ aëre vix fatiscit. Solutio aquosa valde diluta, solutione carbonatis sodæ turbatur, sedimentum relinquens in liquore chlorhydratis ammoniæ solubile. Nec acido oxalico, nec ferrocyanureto potassii præcipitatur. Cum carbonate barytico vel calcico excedente agitata, liquorem præbet curcumam non tingentem.

SULPHAS MORPHINÆ.

R.	Morphinæ pulveratæ	1
	Aquæ destillatæ.	3
	Acidi sulphurici diluti	Q. S.

In capsula vitrea balneo aquæ imposita, morphinam et aquam immitte, tum paulatim acidum sulphuricum adde, donec morphina plane soluta sit, cavens ne acidum excedat. Liquorem filtra et eva-

pora ut fiant crystalli, primo leviter, dein fortiter exprimendæ lenissimoque calore siccandæ. Cautissime serva.

Crystalli prismaticæ, tenues, albæ, saporis amari, aqua et alcohole facile solubiles; in aere perstant.

Super lamine platinea calefactus, residuo non relicto deflagrat; cum potassæ causticæ excedente plane solvitur; solutio aquosa est neutra, nec nitrate argentico nec bicarbonato sodico turbatur.

SULPHAS POTASSÆ.

R.	Sulphatis potassæ venalis	1,000
	Aquæ destillatæ bullientis	5,000

Solve sulphatem in aqua, solutionem filtra, et refrigeratione in crystallos redige.

Sal albus, pellucidus et in crystallis, plerumque hexagonalibus prismaticis, in breves pyramides desinentibus, in aquæ frigidæ decem, in aquæ bullientis autem quatuor partibus solubilis; in aere non mutans. Solutio aquosa nec acido sulphohydrico, nec sulphohydrato ammoniaco, nec ferro-cyanureto kalico, nec carbonato kalico, nec solutione diluta nitratis argentici præcipitatur, neque chartam exploratoriam cæruleam mutat.

SULPHAS QUININÆ.

Crystalli parvæ, aciculares, niveæ, leves, nitoris sericei, flexibiles, odoris expertes, saporis peramari, aere fatiscentes, in aquæ frigidæ partibus circiter septingentis et quinquaginta, in aquæ ebullientis partibus triginta, in spiritus partibus sexaginta solubiles, in æthere difficilius, in aqua autem acido sulphurico acidulata facilius. Acido sulphurico concentrato commixtæ nec absque calore, nec balneo aquæ colorantur. Super lamina platinea igni expositæ liquescunt, nigrescunt et sine ullo residuo conflagrant. Cum viginti ætheris partibus et ammoniæ causticæ duabus conquassatus, et aliquo tempore sepositus, sulphas quininæ liquorem præbet e duobus constans stratis pellucidis. Æquali parte carbonatis barytici et triginta aquæ partibus accurate commixtus, tum balneo aquæ ad siccum

evaporatus, præbet massam, aqua affusa, filtratum exhibentem, quod evaporatum vix residuum ullum relinquit.

Calore 100° expositus, donec ejus pondus non jam imminuatur, ultra quatuor decim aquæ partes pro centum amittere non debet.

74.31 pro centum quininæ continet.

SULPHAS QUININÆ ACIDUS.

R.	Sulphatis quininæ	100
	Acidi sulphurici	12
	Aquæ destillatæ	400

Misce et calefac donec solutio sit perfecta; tum cola et in crystallos per refrigerationem redige. Lixivium evapora, ut denuo crystallos obtineas. Has crystallos extilla et calore solito exsicca.

Crystalli prismaticæ, albæ, nitentes, saporis peramari, in aquæ undecim partibus ad calorem 15° nec non in duo et triginta partibus spiritus solubiles. Calore 100° in aqua crystallisationis fundit, tum residuo non relicto deflagrat.

59.12 pro centum quininæ continet.

SULPHAS SODÆ.

Occurrit in crystallis prismaticis aut confusis, sulphatem magnesicum simulantibus, coloris et odoris expertibus, pellucidis, gustanti salsis et amaris, in aere fatiscentibus, in spiritu non solubilibus, in tribus aquæ frigidæ partibus autem solubilibus. In aqua 33° facilius solvuntur quam calore ad 100° aucto. Calefacti liquescunt in aqua crystallisationis, quam calore aucto amittunt.

Solutio aquosa chartam exploratoriam non mutat, nec præcipitatur a potassa caustica, nec ab acido sulphohydrico, nec a sulphohydrato ammoniaco, nec ab acido tartarico; a nitrate argentico vix turbatur.

SULPHAS STRYCHNINÆ.

R.	Strychninæ pulveratæ	35
	Acidi sulphurici diluti	30
	Aquæ destillatæ.	180

Strychninam cum aqua misce, calori 60° expone, et sensim acidum adde, donec saturatio fiat, nimiam hujus copiam vitando.

Cola si opus sit, evapora donec cuticula levis supra liquorem oriatur, calore non ultra 50° aucto, et in crystallos redige. Has inter chartas bibulas exprimendo exsicca et illico in lagenam bene clausam immitte. Cautissime serventur.

Crystalli cubicæ aut prismaticæ, albæ, odoris expertes, saporis valde amari, in aqua et in spiritu solubiles, non autem in æthere, in aere fatiscentes, plane evanescentes absque residuo quum calori rubro super lamina platinea exponuntur, cum acido nitrico non rubescentes.

Solutio aquosa chartam exploratoriam non mutat; cum potassa caustica præcipitatum album in potassa superabondante et in æthere non solubile præbet. Sulphas strychninæ 74.9 strychninæ pro centum continet.

SULPHAS ZINCI.

℞. Zinci in frustulis diffracti vel in foliis tenuibus	100
Acidi sulphurici	135
Aquæ destillatæ.	500
Oxydi zinci	2
Chlori gazosi.	Q. S.

In vase porcellaneum immitte aquam, acidum et zincum, ut reactio fiat, quumque minuerit effervescentia, calefac donec gaz omnino avolaverit. Tum per tubum vitreum profluvium chlori in solutionem immitte, quoad hæc illius gazis odorem sparget; chlorum excedens calore expelle; oxydum zincicum in parva aquæ quantitate dilutum, solutioni adde, donec præcipitatum ochræ coloris oriatur. Sepone ut præcipitatum subsideat, cola, evapora donec pellicula tenuis liquido inhalet, et refrigeratione in crystallos redige. Lixivium evapora, ut novæ crystalli separentur. Postquam crystalli extillaverint, sicca eas calore solito.

Crystalli prismaticæ, decolores, pellucidæ, saporis styptici, in aqua maxime solubiles, in alcohole fere insolubiles. In aere sicco sensim fatiscunt. Sit solutio aquosa incolor; nitrate argentico ne

turbetur nec coloretur; præbet cum liquore ferro-cyanureti kalici sedimentum album, et cum ammonia liquida præcipitatum itidem album, quod in aere colorem non mutat et excessu ammoniæ admixtæ penitus evanescit. Additis acidi chlorhydrici diluti aliquot guttulis et, affuso dein acido sulpho-hydrico, præcipitatum nullum demittatur.

SULPHO-HYDRAS CALCII.

R.	Calcis vivæ e marmore paratæ . . .	100
	Aquæ destillatæ	500

Calcem extinctam in totam aquæ copiam dilue, et acidum sulpho-hydricum lotum per tubum recurvum lege artis in massam immitte donec non jam absorbetur. Sepone, cola, et in parvis lagenis bene clausis serva.

Liquor flavescens, in aere plane mutabilis, ponderis specifici 1.11 ad 1.12. Solutioni sulphatis zinci commixtus, acidum sulpho-hydricum emittit, et sulphuretum zinci præcipitatur; acido chlorhydrico emittit acidum sulpho-hydricum, nullum sulphuris residuum relinquendo.

SULPHUR DEPURATUM.

R. Sulphuris sublimati venalis . . . . Q. V.

Cum parva aquæ copia in pultem liquidam æquabiliter conteratur; tum majori aquæ quantitate pluries abluatur donec ab acido plane liberum sit et, ultima vice, cum aqua destillata ferventi. Colligatur dein in linteo expanso, et quum aqua guttatim extillaverit, siccetur leni calore, ac cribro sericeo succretum servetur in vase bene clauso.

Pulvis est subtilis, citrinus, odoris expers absque sapore; aqua cum eo cocta non mutat chartas exploratorias, nec liquore nitratis barytici turbatur.

Tribus ammoniæ causticæ partibus dilutum, per dimidiam horam maceratum et filtratum, liquorem præbet decolorem, qui acido chlorhydrico superabundante non turbatur.

N. B. Sulphur depuratum semper dispensetur, nisi venale a medico expressis verbis postuletur.

SULPHUR PRÆCIPITATUM.

R.	Florum sulphuris	1,000	gram.
	Calcis vivæ optimæ	400	»
	Aquæ communis.	Q. S.	
	Acidi chlorhydrici puri concentrati circiter	700	»

Calcem dilapsam sulphuri strenue misce, et per horam in sex aquæ litris in vase ferreo coque, aquam interdum addendo prout evaporatur. Sepone, liquorem decanta, et illum aere remoto caute serva. Præcipitatum in aquæ tribus litris per dimidiam horam coque, sepone, decanta liquorem et illum liquori prius obtento adde. Partem liquidam siphone in patinam porcellaneam aut siliceam extractam in spatium apertum aut in caminum idoneum colloca, et sensim acidum chlorhydricum prius cum tribus aquæ ponderibus mixtum semper agitando adde, ita ut liquor leviter alcalinus maneat.

Præcipitatum decantando lava, donec lixivium a nitrate argentico non jam præcipitetur, et leni calore sicca.

Pulvis subtilissimus, levis, ex albo flavescens, fere odoris expers, reactionis neutralis. In sulphite carbonis et in liquore potassæ plane solvatur, et calore sine residuo avolet.

Cum aqua destillata, aut cum acido chlorhydrico, aut cum ammonia caustica digestum præbet filtratum, quod evaporatum nihil residui relinquit.

SULPHUR VENALE.

Occurrit in baculis aut in floribus.

Sulphur in baculis est pulchre citrinum et igni admotum sine residuo comburitur.

Flores sulphuris referant pulverem siccum, subtilissimum, coloris supra dicti. Pro inquinationibus vide « sulphur depuratum ».

SULPHURETUM ANTIMONII AURATUM.

R.	Carbonatis sodæ crystallisati . . .	100
	Aquæ destillatæ	500
	Calcis vivæ	22
	Sulphuris pulverati	11
	Sulphureti stibii tenuissime pulverati .	33

Carbonatem sodæ in aquæ 400 part. solve; adde calcem in 100 partibus aquæ dilutam. Coque in vase ferreo, injice liquori bullienti sulphur et sulphuretum stibii, antea commixta; tum ebullitionem sustine donec lixivium colorem cinereum amiserit. Operculo vasi imposito, et materiis insolubilibus separatis, decantha, liquorem evapora donec appareat tenuis pellicula, et refrigeratione in crystallos redige, quæ parva quantitate sodæ causticæ laventur.

R.	Harum crystallorum.	18
	Aquæ destillatæ	325
	Acidi sulphurici	6

Crystallos in aquæ 100 partibus solutas cum acido in 220 aquæ partibus diluto commisce strenue agitando. Liquore decanthato præcipitatum ablue donec aqua chartam exploratoriam cœruleam non rubefaciat, et pulverem exstillatum leni calore sicca.

Pulvis tenuissimus, coloris læte aurantiaci, odore ac sapore carens, aqua et spiritu non solubilis. In tubo vitreo calefactus sulphur sublimatum edit et sulphuretum antimonii nigrum relinquit. Calore adhibito, in liquore kali caustici plane est solubilis. Item solubilis est in liquoris ammonii caustici partibus 80, minore copia residui in acido tartarico solubilis relicta. Acido chlorhydrico quoque, caloris ope solvitur, relicto sulphure præcipitato.

Aqua destillata cum eo pulvere mixta, dein filtrata et evaporata, nil relinquit. Præsentia arsenici eodem modo exploratur quo in sulphureto antimonii nigro depurato.

SULPHURETUM ANTIMONII NIGRUM DEPURATUM.

R. Sulphureti antimonii venalis bonæ notæ. Q. V.

In mortario ferreo pulveratum ac cribro succretum, supra porphyritem, affusa parva aquæ copia, lævigetur donec particulæ micantes non jam appareant. Massa dein cum duplici ammoniæ liquidæ pondere in lagena clausa per biduum digeratur sæpius quassata, ut arsenicum sulphuratum, quo fere semper inquinata est, solvatur; tum decanthetur, aqua abluatur, loco calido siccetur, vitroque bene clauso servetur.

Pulvis tenuissimus, ponderosus, coloris grisei, ope tubuli ferrumi-

natorii in carbone candenti exploratus facile liquescens, primo flammam cœruleam cum odore acidi sulphurosi, dein vapores albos, haud alliaceos, emittens. Acido chorhydrico caloris ope solutus, nullum arsenici sulphurati residuum relinquat. De quo, ut certior fias residuum solutione acidi tartrici ablutum, tum siccatum cum carbonate sodæ anhydro in tubo vitreo ad rubedinem calefac: arsenico ita sublimato vitrum micabit.

N. B. Si medicus stibium sulphuratum nigrum præscripserit pro usu interno, pharmacopola semper depuratum dispenset.

SULPHURETUM ANTIMONII VENALE.

Frusta densa, ponderosa, e crystallis acicularibus, nitoris metallici, e nigro griseis, radiatim aut in fasciculis dispositis, composita.

Ab arsenico, cupro, plumbo, silice, et aliis substantiis alienis, quantum fieri potest, liberum sit.

Pulveratum cum acidi chlorhydrici partibus decem coctum fere plane solvatur. Hujus solutionis decanthatæ pars altera volumine æquali spiritus rectificati mixta, tantum modo paulum turbatur, ac præcipitatum crystallinum non edit; tum copia ammoniæ causticæ prævalentis addita præbet filtratum coloris expers. Solutionis chlorhydricæ philtratæ pars altera, admixta quinta acidi chlorhydrici parte et addita chlorureti stanni parva copia, coquendo non fuscatur.

SULPHURETUM CALCII.

R.	Sulphatis calcis venalis usti. . . .	4
	Carbonis lignei	1

Seorsim pulverata ac intime mixta in crucibulo fortiter comprimantur, dein, operculo imposito, incandescant igne fortiori, donec in pulverem album conversa sint. Massa adhuc tepida in lagenis minoribus probe clausis servanda.

Pulvis ex albo cinereus vel flavescens, aere mutabilis, in aquæ quingentis partibus solubilis, aere humido acidum sulpho-hydricum redolens, in acido chlorhydrico diluto fere plane solubilis.

SULPHURETUM CALCII LIQUIDUM.

R.	Calcis ustæ	100
	Florum sulphuris	250
	Aquæ.	1,000

Calci ustæ sartagini fictili ingestæ affunde aquæ calidæ partes 50, et sartaginem operculatam sepone donec calx, perfecte extincta, in pulverem tenuissimum dilapsa sit. Tum adde flores sulphuris et aquam; miscelam coque per horam, aquam evaporatione absumptam restituendo; operculo imposito, seponatur sartago per noctem et, crastina die, liquor limpidus innatans, ope siphonis vitrei, in lagenas aptas transducatur. Residuum rursus cum aquæ ferventis pari pondere misceatur et filtretur. Liquorem filtratum liquori decanthato adde miscellamque, si opus sit, aqua dilue ut pondus specificum 1.116 indicet, serva in lagunculis bene clausis.

Liquor limpidus, e fusco auratus, ponderis specifici 1.116. Aeri expositus decomponitur.

SULPHURETUM CARBONIS.

R.	Sulphureti carbonis venalis. . . .	1,000
	Lithargyri in pulverem tenuem redacti.	10
	Potassæ causticæ pulveratæ. . . .	5

Misce et conquassa usquedum charta acetate plumbico imbuta non amplius nigrescat si per aliquot minuta supra miscellam teneatur.

Liquorem decantha in retorto vase frigidario bene refrigerato munito, et destilla calore 50° non excedente.

N. B. In operando, cave ne vapores corpora igni ardentia contingant.

Est liquor colore destitutus, pellucidus, odoris ætherei proprii, valde refringens, chartam exploratoriam non mutans, neque ullum influxum in laminam argenteam vel in acetatem plumbicum exercens, inter 46° et 47° ebulliens, sine residuo volatilis, ponderis specifici 1.27.

In aere calefactus deflagratur et cum flamma cœrulea uritur. Inter-

posito spatio inflammari potest propter magnam sui vaporis contentionem.

In aqua parum, sed in alcohole et in æthere facillime solvitur. Corpora pinguia, essentias, etc., dissolvit.

SULPHURETUM FERRI.

R.	Limaturæ ferri	3
	Sulphuris sublimati	2

Quæ permixta in crucibulem Hassiacum operculo obtegendum immissa calore rubro calefac donec fusa sint nec vapores sulphurosos spargant; tum in laminam ferream effunde.

Vase clauso servetur

Massa nigra, acido chlorhydrico acidum sulpho-hydricum emittens solubilis.

SULPHURETUM HYDRARGYRI NIGRUM.

R. Hydrargyri,
Sulphuris sublimati et loti, partes æquales.

Mixta et cum aliquot aquæ guttulis humectata in mortario lapideo tepefacto strenue terantur parvam aquæ quantitatem aliquoties addendo donec globuli hydrargyri nitentes non amplius conspiciantur.

Pulvis est niger, subtilissimus, ponderosus, in aere persistens, ignitus in aere flamma cærulea deflagrans et sine residuo avolans. Acido nitrico diluto non solvitur; si hydrargyrum metallicum adsit, liquor acidus post aliquod tempus filtratus cum acido sulphohydrico præcipitatum præbet e nigro fuscum.

SULPHURETUM HYDRARGYRI RUBRUM.

Massa vel frusta obscure rubra, texturæ fibrosæ, pulverem rubrococcineum præbentia, igne tota volatilia. Liquor filtratus potassæ causticæ subjectus non excessu acidi chlorhydrici præcipitatum præbet flavum.

SULPHURETUM POTASSII OFFICIALE.

R.	Sulphuris depurati	4
	Carbonatis potassæ puri et sicci . .	7

Exacte commixta immitte in crucibulum Hassiacum operculo obtegendum et semireplendum, quod blando igni admove ut sensim calefiat et acidum carbonicum erumpere incipiat; ignem æquabilem fove ne massa nimis exultet, usque dum, igne sub finem ad calorem obscure rubrum aucto, tranquille fluat. Residuum in lamina ferrea effusum vel in crucibulo probe operculato refrigeratum serva in vase sicco apte clauso.

Massa est amorpha, ex viridi fulva, aere liquescens, duplici aquæ pondere solubilis; aere, præsertim humido, decomponitur.

SULPHURETUM SODII CRYSTALLISATUM.

R.	Sodæ causticæ liquidæ	Q. V.

In lixivium causticum per tubum recurvum aliquantisper acidum sulpho-hydricum lotum immitte, et sepone. Decantha liquorem limpidum, ac rursus in illum acidum sulpho-hydricum immitte, donec cum sulphate magnesico reactionem non jam præbet; tum per aliquos dies ab aere remotum sepone, crystallos in infundibulum vitreum tectum collige, et post quam extillaverint, vase probe clauso serva.

Crystalli decolores aut pallide coloratæ, diaphanæ, in aqua valde, in spiritu vix solubiles, aere mutabiles. Solutio aquosa coloris expers; cum acido sulphurico diluto prævalente acidum sulpho-hydricum edit, nullumque sulphuris præcipitatum exhibet.

SULPHURETUM SODII OFFICINALE.

R.	Carbonatis sodæ probe siccati	27
	Sulphuris depurati	20

In crucibulo Hassiaco probe tecto liquentur, sicuti de sulphureto potassii expositum est.

SUMMITATES MELILOTI OFFICINALIS.

Flores lutei seu citrini inspicas prælongas extremis ramis digesti, corollis papilionaceis, odoris suaveolentis, subfragrantis.

SUPPOSITORIA.

Nisi aliter præscriptum sit, suppositoria butyro cacao conficienda sunt; formam conorum pondusque 5 grammatum præbeant.

SUPPOSITORIUM ALOES.

R.	Aloes subtilissime pulverati . .	50	centig.
	Butyri cacao.	4.50	»

Butyro cacao leni calore fuso ac refrigeratione pene concreto aloes intime misce et in modulum effunde.

SUPPOSITORIUM BELLADONÆ.

R.	Extracti belladonæ	40	centig.
	Sacchari lactis	40	»
	Butyri cacao	4.50	»

Extractum et saccharum commixta, leni calore sicca et in pulverem tenuem redige; hunc butyro cacao fuso et pene concrescenti incorpora, tumque in modulum effunde.

SUPPOSITORIUM RATANHIÆ.

R.	Extracti ratanhiæ	1	gramm.
	Butyri cacao	4	»

Extractum siccatum et in pulverem tenuem redactum butyro cacao fuso ac pene concrescenti intime misce, massamque in modulum effunde.

SYRUPI.

1. Liquores quibus, sales, materiæ extractæ aut aromaticæ includuntur, qui syrupis parandis adhibendi sint claros esse oportet antequam saccharum solvatur;

2. Adhibeatur semper saccharum albissimum, in fragmentis divisum, aliquando contusum, solutionem aquosam limpidam præbens;

3. Vasa syrupis parandis destinata, ab his mutari ne possint. Nisi aliter indicatum sit, vasis metallicis non est utendum quum syrupi sunt acidi; quum sunt neutri, ahena probe stanno puro illita adhiberi possunt;

4. Sacchari solutionem lenis calor adjuvet; syrupus cilicio coletur antequam sit refrigeratus;

5. Sint limpidi, exceptis syrupis amygdalarum, anisi, santoninæ aut Vanieri. Nunquam flocculos aut crassamina suspensa teneant, nec refrigeratione sacchari crystallos deponant;

6. Sint syrupi frigidi generatim ponderis specifici 1.32 ad 1.33;

7. In lagenis bene siccatis et probe clausis loco frigido asserventur;

8. Ut diutius serventur, centum syrupi partibus tres partes alcoholis addere licet;

9. Rejiciantur qui fermentati sint.

10. Cochlearia sirupi majora sunt prope viginti grammatum, minora 5 grammata habent.

SYRUPUS ABSINTHII.

R.	Herbæ absinthii	25
	Aquæ destillatæ.	Q. S.

Aquam frigidam in herbas concisas infunde, et balneo aquæ in vase operto per duas horas calefac; tum decantha, residuum exprime et filtra.

R.	Hujus liquoris	345
	Sacchari	655
		1,000

SYRUPUS ACETI.

R.	Aceti vini optimi.	364
	Sacchari	636
		1,000

SYRUPUS ACIDI CITRICI.

R.	Acidi citrici	20
	Aquæ destillatæ.	20
	Syrupi simplicis.	960
	Spiritus citri.	1
		1,000

Aquam cum acido in patina porcellanea aut in matracio vitreo calefac, et soluto syrupum simplicem spiritui citri mixtum adde.

SYRUPUS ACIDI TARTARICI.

R.	Acidi tartarici	20
	Aquæ destillatæ	20
	Syrupi simplicis.	960
		1,000

Acidum in aquam solve, et solutum syrupo adde.

SYRUPUS ÆTHERIS.

R.	Syrupi simplicis.	440
	Aquæ destillatæ.	490
	Spiritus ad 92°	50
	Ætheris	20
		1,000

Misce et in lagenis probe clausis serva.

SYRUPUS ALTHEÆ.

R.	Radicis altheæ siccæ concisæ . . .	32
	Aquæ destillatæ frigidæ.	360

Macera per sex horas; expressione non adhibita cola et sume :

Hujus liquoris	346
Sacchari	654
	1,000

SYRUPUS AMYGDALARUM.

R.	Amygdalarum dulcium	165
	Amygdalarum amararum	45
	Aquæ destillatæ	360

Amygdalas in aquam calidam, calore 40° non superante, immerge, ut decorticentur. Aqua frigida illas lava, et postquam extillaverint, in mortario marmoreo pistilli lignei ope contunde, aquam sensim addendo ut fiat emulsio, et per telam densam cum expressione cola. Tum sume :

Hujus emulsionis	404
Sacchari	580
Aquæ florum aurantiorum	16
	1,000

In vase clauso calore 40° non superante saccharum et emulsionem perfecte solve; adde aquam florum aurantiorum, cilicio cola et aere remoto refrigera.

Serva in lagenis reclinatis.

Sit ponderis specifici 1.298 ad 1.309.

SYRUPUS ANISI.

R.	Syrupi simplicis	1,000
	Solutionis essentiæ anisi quæ ex novem alcoholis ad 92° partibus cum essentiæ una parte componitur . . .	3

Misce.

Sit leviter turbidus.

SYRUPUS ANTISCORBUTICUS (Portal).

R.	Radicis gentianæ incisæ	12
	Id. rubiæ contusæ	6
	Corticis peruviani flavi contusi . . .	3
	Aquæ destillatæ	340

Per duodecim horas macera, exprime et filtra. Sume :

Hujus liquoris	320
Sacchari	512
Syrupi cochleariæ compositi . . .	168
	1,000

Saccharum caloris ope solve, cola, et liquori frigido syrupum cochleariæ compositum adde.

SYRUPUS ASPARAGI.

R.	Turionum asparagi recentium . . .	1
	Sacchari grossiuscule pulverati. . .	1

In frustula centimetrum circiter longa teneram asparagi partem conscinde, additoque saccharo in cellam sepone per horas viginti quatuor. Massam dein in aheno stanno probe illito usque ad ebullitionem calefactam per cribrum trajice, et colaturam cum albumine ovi coque, spumas eximendo, usquedum syrupus ebulliens pondus specificum 1.28 præbeat.

SYRUPUS BALSAMI TOLUTANI.

R.	Balsami tolutani.	25
	Arenæ lotæ	225
	Aquæ destillatæ	Q. S.

Balsamum tolutanum cum arena contritum immitte in infundi-

bulum, cujus cavum gossypio carminato inferius obturatum sit, et cum aquæ bullientis Q. S. lava, ut liquoris partes circiter 350 obtineantur. Post refrigerationem filtra. Sume :

Hujus liquoris	345
Sacchari	655
	1,000

Leni calore in vase clauso solve.

SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS.

R. Herbæ capillorum veneris	25
Aquæ destillatæ frigidæ	Q. S.

Per bihoras balneo aquæ calefac, liquorem decantha, residuum exprime, filtra. Sume :

Liquoris filtrati	300
Sacchari	655
Aquæ florum aurantiorum	45
	1,000

Saccharum leni calore solve, et syrupo refrigerato aquam florum aurantiorum adjunge.

SYRUPUS CHINÆ.

R. Extracti corticis peruviani fusci . .	38
Syrupi simplicis	962
	1,000

Extractum in syrupum blando calore solve. Eodem modo syrupus corticis peruviani flavi et peruviani rubri paretur.

SYRUPUS CHINÆ FERRUGINOSUS.

R.	Syrupi chinæ vinosi	980
	Citratis ferrici	10
	Aquæ destillatæ	10
		1,000

Citratem ferri in aqua destillata solve, et syrupum misce.

Singula hujus syrupi cochlearia 20 centigrammata citratis ferrici, eamdemque extracti corticis peruviani quantitatem continent.

SYRUPUS CHINÆ VINOSUS.

R.	Extracti corticis peruviani fusci . .	10
	Vini Malacitani	430
	Sacchari albi	560
		1,000

Extractum vino adde, filtra, balneo aquæ clauso saccharum in liquore solve, et post refrigerationem cola.

Singula cochlearia 20 extracti corticis peruviani centigrammata continent.

SYRUPUS CHLORALI.

R.	Hydratis chlorali	50
	Syrupi menthæ	950
		1,000

Hydratem chlorali in parva syrupi parte calefacta solve, et solutum syrupo reliquo adde.

Singula hujus syrupi cochlearia 1 gramma hydratis chlorali continent.

SYRUPUS CINNAMOMI.

R.	Aquæ cinnamomi	345
	Sacchari	655
		1,000

Saccharum balneo aquæ clauso in aquam solve.

SYRUPUS COCHLEARIÆ COMPOSITUS.

R. Herbæ cochleariæ	135
Id. nasturtii	135
Radicis armoraciæ sylvestris . . .	135
Aurantiorum maturorum	60
Cinnamomi	6
Vini albi	540
Sacchari contusi	600

Herbas cochleariæ et nasturtii contusas, armoraciæ radices incisas, aurantia in segminibus tenuibus secta, et cinnamomum grosso modo pulveratum in vinum per biduum macera, tum balneo aquæ destilla ut colligas liquoris aromatici partes 140.

Liquorem in balneo aquæ remanentem exprime a residuis separa, albumine defæca, per pannum cola, et balneo aquæ evapora, donec liquoris partes 250 remaneant. Sume:

Liquoris destillati	140
Id. evaporati	250
Sacchari	610
	1,000.

Blandissimo calore saccharum in vase clauso solve.

SYRUPUS COCHLEARIÆ IODURETUS.

R. Iodureti potassici.	2
Aquæ destillatæ	2
Syrupi cochleariæ compositi . . .	996
	1,000

Ioduretum aqua solutum syrupo misce.

Paretur ex tempore.

SYRUPUS CODEINÆ.

R. Codeinæ	2
Spiritus ad 92°	20
Syrupi simplicis	978
	1,000

Codeinam in spiritum calefactum solve, et soluto syrupum misce. Singula cochlearia 4 centigrammata, et cochlearia parva 1 centigramma codeinæ continent.

SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM.

R.	Corticum aurantiorum amarorum . .	60
	Sacchari	650
	Aquæ.	Q. S.

Cortices minutim concisos cum aquæ destillatæ frigidæ Q. S. per horas viginti quatuor digere, ut obtineas solutionis 250 partes. Tum cortices residuos cum aqua destilla ut eliciantur aquæ aromaticæ partes 100; dein, liquoribus commixtis, adjice saccharum et, vase clauso lenique calore, fiat ita ut sint syrupi partes 1,000.

SYRUPUS CROCI.

R.	Croci	25
	Vini Malacitani	450 seu Q. S.

Crocum per biduum macera in sufficiente quantitate vini ut, post expressionem, obtineantur solutionis filtratæ partes 400. Sume:

Hujus solutionis	400
Sacchari	600
	1,000

Leni calore in vase clauso solve.

SYRUPUS CYDONIORUM.

R. Cydoniorum fere maturorum . . . Q. V.

Cydoniorum fricatione lanuginem aufer ac seminibus et endocarpio ablatis, illa in pulpam redige; succum expressum in lagenis sepone, ut levi fermentatione defæcetur, quod plerumque post aliquot dies fit. Filtra, et sume :

Hujus succi	363
Sacchari albi.	637
	1,000

Balneo vaporis in vase vitreo aut porcellaneo solve.

SYRUPUS DIACODII.

R.	Extracti papaveris albi	10
	Syrupi simplicis	990
		1,000

Extractum in partibus 50 syrupi leniter calefacti solvatur et solutum syrupo reliquo adde.

Singula cochlearia 20 extracti centigrammata, parva cochlearia autem 5 centigrammata continent.

SYRUPUS DIGITALIS.

R.	Tincturæ digitalis	25
	Syrupi simplicis	975
		1,000

Misce.

Singula hujus syrupi cochlearia 50 centigrammata tincturæ, aut circiter 33 milligrammata extracti alcoolici continent.

SYRUPUS FLORUM AURANTIORUM.

R.	Aquæ destillatæ florum aurantiorum .	345
	Sacchari albi	655
		1,000

Solve leni calore in vase clauso.

SYRUPUS FLORUM PERSICORUM.

R. Florum recentium persicorum . . . Q. V.

Contere in mortario marmoreo, succum expressione extrahe, et filtra. Sume :

Hujus succi	345
Sacchari albi	655
	1,000

SYRUPUS FOENICULI COMPOSITUS.

R.	Radicum apii	10
	Id. asparaginis	10
	Id. fœniculi	10
	Id. petroselini	10
	Id. rusci aculeati	10
	Acidi acetici diluti	120

Radices concisas cum acido acetico diluto et cum aquæ destillatæ partibus 250 in vas siliceum, vitreum aut percellaneum immitte; per octodecim horas macera, decanta et filtra. Sume :

Hujus liquoris	300
Sacchari albi	650
Aquæ destillatæ apii	50
	1,000

Leni calore saccharum solve, et syrupo frigido aquam apii destillatam adde.

SYRUPUS GENTIANÆ.

R.	Radicum gentianæ	30
	Aquæ destillatæ	Q. S.

Radicibus incisis aquam frigidam adde, balneo aquæ clauso per duas horas calefac; liquorem decanta, residuum exprime et filtra. Sume :

Hujus liquoris	345
Sacchari	655
	1,000

SYRUPUS GUMMI ARABICI.

R.	Frustulorum gummi arabici	100
	Aquæ destillatæ	100
	Syrupi simplicis	800
		1,000

Gummi frustula bis in aqua frigida ablue, cito malaxando; tum exstilla et aquæ totam quantitatem adde. Interdum agitans calore

non addito solve, per cilicium non exprimendo cola, et syrupi simplicis quantitatem præscriptam adjunge.

SYRUPUS IODURETI FERRI.

R.	Iodii	4.25
	Limaturæ ferri	2
	Aquæ destillatæ	10

Iodo et aqua in ampulla vitrea demissis, ferri limaturam sensim, interdum versando, adde. Perge versare solutionem, et, si necesse sit, leniter calefac, donec virescat. Filtra. Sume :

Hujus solutionis	15
Syrupi simplicis	785
Syrupi florum aurantiorum. . . .	200
	1,000

Misce, et in lagunculis plenis et optime clausis serva. Syrupus coloris expers; in lagunculis non jam plenis flavescit.

Singula cochlearia continent decem centigrammata iodureti ferri, et singula parva cochlearia præbent viginti quinque milligrammata.

SYRUPUS IPECACUANHÆ.

R.	Tincturæ ipecacuanhæ	35
	Syrupi simplicis.	1,000

Misce et calefac ad ebullitionem, ut remaneant 1,000 partes syrupi.

SYRUPUS IPECACUANHÆ COMPOSITUS.

R.	Radicis ipecacuanhæ contusæ . . .	3
	Foliorum sennæ.	10
	Herbæ serpylli	5
	Florum papaveris rubri.	12
	Sulphatis magnesiæ.	10
	Vini albi	75
	Aquæ florum aurantiorum	75
	Aquæ bullientis	300

Ipecacuanham et sennam per duodecim horas in vino albo macera, exprime, residuo serpyllum et flores papaveris rubri adjunge, et aquam bullientem affunde. Infusione per sex horas facta, expressionis ope cola, et liquori sulphatem magnesiæ et aquam florum aurantiorum adde. Liquorem vinosum cum infuso misce et filtra.

Colaturæ sume	345
Sacchari	655
	1,000

Balneo aquæ clauso solve.

SYRUPUS LACTUCARII ET OPII.

R. Extracti lactucarii	0.50
Id. opii	0.25
Sacchari.	643
Aquæ florum aurantiorum. . . .	14
Aquæ destillatæ.	343
Acidi citrici.	0.25
	1,000

Extractum opii in aqua florum aurantiorum solve et filtra.

Deinde extractum lactucarii aqua destillata bulliente exhauri, refrigera et filtra. Saccharo in hoc liquore soluto, acidum citricum adde, et huic mixturæ pene refrigeratæ solutionem extracti opii infunde.

SYRUPUS MANNÆ.

R. Mannæ	100
Aquæ destillatæ	350
Sacchari	600

Mannam in aqua calida solutam cum albumine ovi clarifica, saccharum adde, et coque ut remaneant 1,000 partes.

SYRUPUS MATICO.

Paretur eodem modo quo syrupus corticum aurantiorum, partes matico centum adhibendo ut obtineantur syrupi partes 1,000.

SYRUPUS MENTHÆ.

R. Aquæ menthæ piperatæ.	345
Sacchari albi.	655
	1,000

SYRUPUS MORORUM.

R. Mororum nigrorum nondum plane maturorum	16
Sacchari albi grossiuscule contusi . .	19

Mixta in lebete calefac, leniter versando donec aliquot undis ferbuerint. Tunc per pannum cola sine expressione. Syrupus frigidus pondus specificum 1.34 præbet.

SYRUPUS MORPHINÆ.

R. Chlorhydratis morphinæ	0.50
Aquæ destillatæ	10
Syrupi simplicis	990
	1,000

Chlorhydras morphinæ in aquam destillatam solvatur, et syrupo misceatur.

Singula cochlearia unum salis morphinæ centigramma et parva cochlearia 2 1/2 milligrammata continent.

SYRUPUS NARCEINÆ.

R. Narceinæ.	0.50
Syrupi simplicis.	1,000

Narceina in aliquot acidi chlorhydrici diluti guttis solvatur solutum syrupo misceatur.

Singula hujus syrupi cochlearia unum narceinæ centigramma et parva cochlearia 2 1/2 milligrammata continent.

SYRUPUS OPII.

R. Extracti opii	2
Aquæ destillatæ	16
Syrupi simplicis	998

Extractum in aqua solutum desuper parvum colum madidum funde, cum paulula aquæ quantitate lava, liquorem filtratum syrupo misce, et evapora ut 1,000 partes obtineas.

Singula cochlearia 4 extracti centigrammata, parva cochlearia 1 centigramma continent.

SYRUPUS OPII SUCCINATUS.

R. Syrupi opii	997
Acidi succinici medicinalis	3
	1,000

Acido in 20 syrupi calefacti partibus soluto syrupum reliquum misce.

SYRUPUS PAPAVERIS RHOEADOS.

R. Petalorum papaveris rhœados siccatorum	45
Sacchari	650
Aquæ	550

Peta cum aqua frigida digere per horas quatuor, tum exprime ac in liquore per filtrum depurato solve saccharum balneo vaporis, ut sint syrupi partes 1,000.

SYRUPUS PHELLANDRII AQUATICI.

R. Fructus phellandrii	60
Sacchari	650

Fructus contusos per 24 horas macera in aquæ Q. S. ut expressione facta liquidi 250 partes obtineas. Residuum cum aqua destilla usquedum aquæ aromaticæ partes 100 extraxeris. Binis liquoribus commixtis saccharum adde, et leni calore vase clauso solve. Syrupi mille partes obtinendæ sunt.

SYRUPUS PICIS.

R.	Aquæ picis	345
	Sacchari	655
		1,000

Saccharum leni calore in vaso clauso solve, et cola.

SYRUPUS POLYGALÆ.

R.	Extracti polygalæ	5
	Syrupi simplicis	995
		1,000

Extractum in 50 partibus aquæ distillatæ solve, filtra, syrupum cum soluto misce et evapora donec remaneant partes 1,000.

SYRUPUS RATANHIÆ.

R.	Extracti ratanhiæ.	50
	Syrupi simplicis	950
		1,000

Extractum in æquali pondere syrupi leniter calefacti solutum cum syrupo reliquo misce.

SYRUPUS RHAMNI CATHARTICI.

R.	Baccarum rhamni cathartici bene maturarum	Q.V.

Baccas inter manus contere, nec semina obtere; massam per tres vel quatuor dies sepone, exprime et succum filtra. Sume :

Hujus succi	1,500
Sacchari albi.	1,000

Misce et balneo aquæ evapora ut syrupus calefactus ponderis specifici sit 1.27.

SYRUPUS RHEI.

R.	Radicis rhei concisæ.	50
	Aquæ destillatæ	Q.S.

Rheum in aqua destillata per duodecim horas macera, tum balneo aquæ per dimidiam horam calefac, exprime et filtra. Sume:

Hujus infusi.	335
Aquæ cinnamomi	20
Sacchari	645
	1,000

Saccharum in infuso solve, cola, et liquori frigido aquam cinnamomi adde.

SYRUPUS RHEI COMPOSITUS.

R.	Radicis Taraxaci.	100
	Id. Rhei	50
	Aquæ distillatæ quantum satis.	

Radices per duodecim horas in aqua destillata maceratas, balneo aquæ per dimidiam horam calefac, exprime et filtra. Sume :

Hujus infusionis	335
Aquæ cinnamomi	20
Sacchari	645
	1,000

Saccharum in infusionem solve, cola, et liquido refrigerato adde aquam cinnamomi.

SYRUPUS RIBESIORUM.

R.	Ribesiorum rubrorum	20
	Cerasorum rubrorum	2
	Id. nigrorum	1

Fructus manu in cribro setaceo cymbio superposito conterentur,

magma prelo exprimatur, utrique liquores misceantur, et loco frigido seponantur. Post viginti quatuor horas massa gelatinosa in pannum madefactum conjiciatur, ut succus limpidus defluat. Sumantur :

Hujus succi	364
Sacchari	636
	1,000

Sedulo fiat ebullitio in aheno stanno non illito, et coletur.

SYRUPUS ROSARUM.

R. Petalorum rosarum rubrarum . . .	100
Aquæ destillatæ fervidæ.	600

Per duodecim horas infusione facta exprime, sepone et decantha. Tum balneo aquæ evapora ut

Ponderis partes remaneant	345
His adde sacchari	655
	1,000

Leni calore solve.

SYRUPUS RUBI IDÆI.

R. Baccarum rubi idæi bene maturarum.	4
Cerasorum rubrorum acidorum. . .	1

Fructus manu in cribro setaceo cymbio superposito conterantur; magma prelo exprimatur; utrique liquores misceantur et loco frigido seponantur. Post octo et quadraginta horas massa gelatinosa in pannum madefactum injiciatur, ut succus limpidus defluat.

Sumantur hujus succi	364
Sacchari	636
	1,000

Fiat ebullitio in aheno cupri rubri stanno non illito.

SYRUPUS SAMBUCI.

R. Baccarum sambuci plane maturarum. Q. V.

Inter manus illas tere, per tres vel quatuor dies sepone, exprime et succum cola.

Sumantur succi filtrati	1,500
Sacchari	1,000

Misce et balneo mariæ evapora donec syrupi fervidi pondus specificum sit 1.27.

SYRUPUS SANTONINÆ.

R.	Santoninæ	2.5
	Alcoholis ad 92°	15
	Syrupi simplicis.	983
		1,000

Santoninæ in spiritu fervido solutæ syrupus addatur.

Singula cochlearia 5 santoninæ centigrammata, parva cochlearia 12 1/2 milligrammata continent.

SYRUPUS SARSAPARILLÆ COMPOSITUS.

R.	Radicis sarsaparillæ concisæ . . .	1,000
	Herbæ borraginis	60
	Petalorum rosarum	60
	Foliorum sennæ.	60
	Fructuum anisi viridis	60

Sarsaparilla ter iterando per duodecim horas maceretur in aquæ frigidæ Q. S. ut radix contegatur.

In partibus 1,500 ultimæ macerationis ceteræ substantiæ per sex horas infundantur.

Præterea ceteræ sarsaparillæ macerationes, ad consistentiam syrupi balneo aquæ evaporentur; infusum ceterarum substantiarum addatur,

albuminis ovi ope defæcetur, seponatur et per pannum coletur. Liquori limpido addantur :

Mellis.	1,000
Sacchari	1,000

Evaporetur ut fiat syrupus fervidus ponderis specifici 1.29.

SYRUPUS SCILLÆ.

R. Aceti scillæ	347
Sacchari	653
	1,000

Balneo aquæ in vase porcellaneo aut vitreo calefac ut saccharum perfecte solvatur.

SYRUPUS SENNÆ.

R. Foliorum sennæ.	100
Radicis liquiritiæ	50
Aquæ destillatæ.	Q. S.

Maceratione per duodecim horas facta, balneo mariæ per dimidiam horam calefac, exprime et cola.

Sume hujus infusionis	347
Sacchari	650
Solutionis essentiæ fœniculi alcoholicæ unam essentiæ partem pro 9 alcoholis continentis	3
	1,000

Saccharum in solutionem solve, et refrigeratione facta essentiæ solutionem adde.

SYRUPUS SENNÆ CUM MANNA.

R.	Syrupi sennæ	600
	Mannæ	225
	Aquæ destillatæ.	175
		1,000

Mannæ in aqua calida solutæ et colatæ syrupus addatur. Paretur ex tempore.

SYRUPUS SIMPLEX.

R.	Sacchari	360
	Aquæ destillatæ.	640
		1,000

Coque ad fervorem et per cilicium cola.

Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici 1.32 ad 1.33; spiritu ad 92° non turbetur, nec calefactus cum potassæ causticæ solutione concentrata nigrescat.

SYRUPUS TARTRATIS FERRI ET POTASSÆ.

R.	Tartratis ferrico-potassici	25
	Aquæ cinnamomi	25
	Syrupi simplicis	950
		1,000

Tartratem in aqua cinnamomi solutum filtra, et liquorem syrupo commisce.

Singula cochlearia 50 tartratis ferrico-potassici centigrammata continent, et 10 ferrimetallici centigrammatibus respondent.

SYRUPUS TEREBINTHINÆ.

R.	Terebinthinæ.	100
	Syrupi simplicis.	1,000

Per bihoras balneo mariæ in vase operculato sæpe cum spatula agitando digere. Aquæ adde quantitatem sufficientem ut pondus instaures prius, refrigera et cola.

SYRUPUS THRIDACIS.

R.	Extracti lactucæ.	20
	Syrupi simplicis.	980
		1,000

Extracto in tribus ponderis partibus aquæ destillatæ soluto, per chartam filtrato, syrupus addatur, et coquatur ut remaneant partes 1,000.

SYRUPUS VALERIANÆ.

R.	Radicis valerianæ	125
	Sacchari	650
	Aquæ destillatæ	Q. S.

Radices contusas per viginti quatuor horas macera in aquæ quantitate sufficiente ut, expressione facta, 250 liquidi partes obtineantur.

Tum radices cum aqua destilla ut elicias 100 aquæ aromaticæ partes. Liquoribus ambobus commixtis saccharum adde, et vase clauso leni calore solve ut fiant 1,000 syrupi partes.

SYRUPUS VANIER.

R.	Olei jecoris aselli.	50
	Gummi arabici pulverati	25
	Aquæ destillatæ	50
	Extracti juglandis	15
	Iodureti potassici	2.50
	Mellis.	300
	Syrupi chinæ.	150
	Syrupi simplicis	404
	Essentiæ anisi	4
		1,000

Essentiæ oleo admixtæ gummi addatur; ioduretum potassicum et

extractum juglandis in aqua præscripta solvantur; oleum hujus solutionis ope emulgeatur; tumque mel in syrupis leniter calefactis solutum adjungatur.

SYRUPUS VIOLARUM.

R.	Petalorum recentium et mundatorum violæ odoratæ.	164 gram.

In petala litrum aquæ tepidæ infunde, per aliquot minutas agita; et massam conjectam in telam aqua destillata lotam exprime. Tum petalis in vase stanneo ponderato positis affunde aquæ destillatæ fervidæ Q. S. ut aquæ et petalorum pondus grammata 492 fiat.

Infusione per duodecim horas facta expressionis ope cola, et liquorem sepone. Sume

Hujus liquoris	346 gram.
Sacchari	654 »
	1,000

Balneo aquæ clauso solve; et in parvulis lagenis lumine remoto serva.

TABELLÆ.

1° Corpora solida quibus tabellæ componuntur, in pulverem tenuem redigenda sunt.

2° Medicamina cum sacchari parte intime commixta incorporentur massæ quæ conficitur, addens reliquo saccharo et gummæ indicatæ quantum aquæ vel liquidi ut massa sit firma.

3° Massa in tabulam effusa præbeat stratum æquale ac tenue; tum in tabellas æquas leni calore siccandas dividatur.

4° Tabellæ desiccatæ sint ponderis grammatis unius.

5° Loco sicco serventur.

TABELLÆ ACIDI CITRICI.

R.	Acidi citrici	20
	Gummi tragacanthæ.	6
	Sacchari	974
	Essentiæ citri	0.15
		1,000

TABELLÆ BALSAMI TOLUTANI.

R.	Balsami tolutani	50
	Sacchari	992
	Gummi tragacanthæ.	6
	Aquæ destillatæ	100

Balneo aquæ balsamum in aqua per bihoras semper agitando digeratur, tum refrigeretur et filtretur.

Liquoris aromatici ope massa in tabellis dividenda componatur.

TABELLÆ BI-CARBONATIS SODÆ.

R.	Bi-carbonatis sodici	50
	Gummi tragacanthæ.	6
	Sacchari	944
		1,000

TABELLÆ CARBONACEÆ.

R.	Carbonis ligni depurati	200
	Sacchari	794
	Gummi tragacanthæ.	6
		1,000

TABELLÆ CATECHU.

R.	Catechu	200
	Sacchari	794
	Gummi tragacanthæ.	6
	Aquæ rosarum	Q. S.
		1,000

TABELLÆ CHLORATIS POTASSÆ.

R.	Chloratis potassæ	100
	Sacchari	894
	Carmini	0.50
	Gummi tragacanthæ.	6
		1,000

Aquæ aromaticæ tolutanæ eodem modo quo dicitur ad art. « tabellæ balsami tolut. » paratæ. Q. S.

TABELLÆ IPECACUANHÆ.

R.	Radicis ipecacuanhæ.	15
	Gummi tragacanthæ.	6
	Sacchari	979
		1,000

TABELLÆ KERMETIS MINERALIS.

R.	Kermetis mineralis	10
	Sacchari	960
	Gummi arabici	30
		1,000

Singulæ tabellæ centigramma Kermetis continent.
Serventur in lagena clausa, loco obscuro collocata.

TABELLÆ LACTATIS FERRI.

R.	Lactatis ferri.	50
	Gummi tragacanthæ.	6
	Sacchari	944
		1,000

Serventur in lagena clausa loco obscuro remota.

TABELLÆ MAGNESIÆ.

R.	Carbonatis magnesiæ	200
	Gummi tragacanthæ	8
	Sacchari	792
		1,000

TABELLÆ MENTHÆ.

R.	Sacchari	962
	Gummi arabici	15
	Id. tragacanthæ	15
	Essentiæ menthæ piperitæ	8
		1,000

TABELLÆ SANTONINÆ.

R.	Santoninæ	25
	Gummi tragacanthæ	5
	Sacchari	970
		1,000

Loco obscuro serva.
Singulæ tabellæ 25 milligrammata santoninæ continent.

TABELLÆ SCAMMONEI COMPOSITÆ.

R.	Scammonei	25
	Calomelanos	25
	Gummi tragacanthæ	5
	Sacchari	945
		1,000

Singulæ tabellæ 25 milligrammata scammonei et calomelanos continent.

TABELLÆ SULPHURIS.

R.	Sulphuris loti	100
	Gummi tragacanthæ	8
	Sacchari	892
		1,000

TABELLÆ ZINGIBERIS.

R.	Rhizomæ zingiberis	100
	Gummi tragacanthæ	6
	Sacchari	894
		1,000

TANNAS PLUMBI HUMIDUS.

R.	Corticis quercus concisæ	2
	Aquæ destillatæ	Q. S.
	Sub-acetatis plumbi liquidi	Q. S.
	Glycerinæ	1

Cortex quercus per dimidiam horam in aquæ destillatæ Q. S. coquatur, ut colaturæ partes 16 obtineantur, coletur et subacetas plumbi addatur, donec nullum præcipitatum ultra oriatur. Hoc præcipitatum in filtro colligatur, aqua destillata lavetur, et exstillatum glycerinæ misceatur.

TANNAS QUININÆ.

R.	Sulphatis quininæ	100
	Acetatis potassæ	23
	Acidi tannici	213
	Aquæ	3,200

Coque sulfatem quininæ et acetatem potassæ in aquæ quantitate præscripta, et strenue agitando acidum tannicum in duplici pondere aquæ calidæ solutum sensim adde.

Refrigera, liquorem decantha, præcipitatum aqua frigida ablue,

et leni calore 60° non superante sicca. Residuum pulveratum per sericeum cribrum cola.

Pulvis est e flavo albidus, subamarus, vix in aqua, in spiritu concentrato autem plane solubilis.

Leni calore funditur, calore vehementiore mutatur, et sine residuo deflagrat.

TARTRAS ANTIMONICO-POTASSICUS.

R.	Oxydi antimonii, sive oxychlorureti antimonii	2
	Bi-tartratis potassæ depurati . . .	3
	Aquæ destillatæ	20

Mixta coque per semihoram in vase porcellaneo, sæpius agitando et aquam evaporatam restituendo; cola liquorem adhuc calidum, evapora ad pelliculam et sepone in loco frigido ut crystallisatio fiat. Crystallos collectas, in pulverem tritas, solve in aquæ destillatæ frigidæ partibus quindecim, filtra et, post iteratam crystallisationem, crystallos siccas caute serva in vitris clausis.

Crystalli rhombico octaëdricæ, pellucidæ, aëris vi opacæ, in aquæ frigidæ partibus quatuordecim, in aquæ fervidæ partibus duabus solubiles, in spiritu non solubiles.

Aqua solutus, admixta acidi tartarici parva copia, nec chlorureto barytico, nec nitrate argentico, nec oxalate ammonico, nec ferrocyanato potassico mutatur. In acidi chlorhydrici quatuor partibus solutus, chlorureti stannosi parva copia addita, inter calefaciendum non fuscatur.

TARTRAS BORICO POTASSICUS.

R.	Bi-tartratis potassæ depurati . . .	1,000
	Acidi borici	250
	Aquæ destillatæ	2,500

Misce et in patina argentea aut porcellanea coque ut fiat solutio; tum filtra et strenue agitando evapora in massam spississimam, sub finem ignem temperans. Hanc massam avulsam et divisam in cal-

dario, super escariis sicca, tum in pulvem redige et per cribrum sericeum cola.

Pulvis est albus, saporis acidi, in spiritu insolubilis, in aqua plane solubilis; solutum acido sulpho-hydrico non præcipitatur; si ammonio supersaturetur, sulpho-hydratem ammonicum nullo modo mutat.

TARTRAS FERRICO-POTASSICUS.

R. Bi-tartratis potassæ depurati et pulverati	100
Ferri limati	30
Acidi chlorhydrici	162
Chloratis potassæ	12
Ammoniæ causticæ liquidæ. . . .	134
Aquæ	Q. S.

Ferrum in acido chlorhydrico cum triplici aquæ pondere diluto solvatur, et chloras potassæ sensim addatur; hoc soluto, liquor odorem chlori spargat, quo deficiente parva chloratis copia iterum admisceatur; tum diluatur in aquæ magna copia, et affundatur ammoniæ quantum indicatum sit, aut quantum satis ut liquor sit alkalinus.

Hydratem ferri præcipitatum, magna aquæ copia ablutum, super tela densa conjice et exstille; tum hydras madidus bi-tartrato potassico commisceatur, in balneo aquæ calori 50° ad 60° per bihoras exponatur, seponatur et filtretur. Liquori refrigerato forsan in massam gelatinosam concrescenti, aliquot ammoniæ guttæ addantur.

Ad sirupi spissioris consistantiam leni calore 60° non superante evaporetur, dein penicilli ope super laminas vitreas aut super escaria in stratis tenuibus expandatur et in caldario siccetur, donec tartras ferrico-potassicus in squammis exsolvatur.

Squammæ sunt splendentes, coloris fusco-rubescentis, in aqua persolubiles, in spiritu non solubiles.

TARTRAS POTASSÆ.

R. Carbonatis potassæ depurati	1,000
Bi-tartratis potassæ depurati . . .	2,725 seu Q. S.
Aquæ destillatæ fervidæ.	4,000

Carbonatis potassici in aqua fervida solutio neutralisetur addendo sensim bi-tartratem potassæ, filtretur et leni calore ad siccitatem evaporetur. Residuum siccum in aquæ frigidæ partibus 10 solvatur, ut substantiæ adventitiæ insolubiles separentur; solutum per triginta sex horas seponetur, filtretur, et blandissimo calore in patina porcellanea ad siccitatem evaporetur. Massa relicta in pulverem redigatur, et in vase optime clauso servetur.

Sal albus, facile humescens, in aqua plane solubilis; solutio neutra chartis exploratoriis nec acido sulpho-hydrico nec sulpho-hydrate ammonii præcipitatum edit; cum acido nitrico mixta et filtrata, vix chlorureto barytico et nitrate argentico turbatur.

BI-TARTRAS POTASSÆ.

Crystalli coloris expertes, subdiaphanæ, formæ irregularis, duræ, inodoræ, fragiles, sub dentibus crepitantes, saporis aciduli, in aquæ frigidæ partibus circiter 200, in fervidæ vero partibus 20 solubiles, in spiritu non solubiles.

Liquore potassæ causticæ vel carbonicæ, necnon ammonio caustico redundantibus plane solvuntur.

Hæ solutiones sulpho-hydrate ammonico non præcipitantur.

Solutio aquosa acido sulpho-hydrico non coloratur.

BI-TARTRAS POTASSÆ DEPURATUS.

R. Bi-tartratis potassæ venalis crystallisati. Q. V.

Crystallos in pulverem tenuem redactas in apparatum depulsorium immitte et aquam decima parte acidi chlorhydrici acidulatam affunde. Post macerationem per duodecim horas, liquidum effluat et nova aquæ acidulatæ pars substituatur; macera iterum per horas sex, partem liquidam emitte, dein salem aqua destillata probe ablutum et siccatum in vase clauso serva.

Pulvis est albus, saporis aciduli, in aquæ fervidæ partibus 20, in aquæ frigidæ circiter partibus 200, in liquore potassæ valde solubilis, in spiritu non solubilis. Solutus in aqua nec acido sulpho-hydrico, nec chlorureto barytico, nec oxalate ammonico, nec nitrate argentico mutatur. Neque ammonia caustica redundante, neque sulpho-hydrato ammonico præcipitatur.

Uno bi-tartratis potassæ depurati grammate calori rubro exposito, residuum relinquitur carbonarium, quod, aqua extractum, ad minimum 5 c.c. acidi oxalici normalis saturet.

TARTRAS SODICO-POTASSICUS.

R.	Bi-tartratis potassæ depurati . . .	1,000
	Carbonatis sodæ puri crystallisati . .	760
	Aquæ destillatæ	3,500

Carbonas sodæ in aqua patinæ stanneæ vel porcellaneæ ope solvatur, et soluto inter coquendum sensim bi-tartras potassæ addatur, donec neutralisatio perfecta sit. Carbonate sodico denuo addito ut liquor fiat subalkalinus, sepone, filtra et evapora ad densitatem 1.38; quo facto refrigeratus crystallos deponat. Lixivium rursus ad eamdem densitatem evaporetur, ut novæ crystalli separentur.

Crystalli exstillent, parva aquæ copia abluantur, et calore solito siccentur.

Crystalli sunt prismaticæ, pellucidæ, in aquæ duabus partibus solubiles, calore in crystallorum aqua deliquescentes. Solutio, nec aqua hydro-sulphurata, nec oxalate ammonico turbatur; chlorureto barytico et nitrate argentico præcipitata alba in acido nitrico plane solubilia præbet.

TEREBINTHINA.

Liquor spissus, flavescens, pellucidus, saporis amari subacris, odoris balsamici, in spiritu et in chloroformio plane solubilis.

Aëre non siccatur, neque magnesiæ hydrate addito intra quatuor et viginti horas solidus fit. Essentia leni calore extracta liquor residuum post refrigerationem siccum et fragile præbeat.

TEREBINTHINA COCTA.

R.	Terebinthinæ	Q. V.
	Aquæ destillatæ.	Q. S.

Terebinthinam in aqua, vase aperto, coque, donec aquæ frigidæ immersa consistentiam semisolidam seu plasticam assumat. Dein ab aqua separatam et coctam serva in vase clauso.

TINCTURÆ.

1° Medicamina simplicia ad parandas tincturas destinata sicca sint, exceptis illis quæ cum herbis viridibus ad alcoholata paranda sunt adhibenda.

2° Colligantur ea conditione, ut effectum therapeuticum maximum præbeant et ab omni mutatione defensa servantur.

3° Medicamina ad tincturarum parationem adhibenda, prius rite contundantur, quo efficaciora fiant corpora dissolventia.

4° Alcoholis concentratio secundum medicaminum naturam variet. Præbeat gradus 50, 60, 80 aut 92°.

5° Tincturæ parantur solutione, lixiviatione, aut maceratione ad temperaturam 15° ad 20° per tempus fixum. Mixtura tunc semel ad minimum in die agitetur et, expressione facta, liquor filtretur.

6° Tincturæ claræ sint.

7° Serventur in lagenis bene clausis, loco temperato et umbroso.

TINCTURA ABSINTHII.

R.	Herbæ absinthii	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA ACONITI.

R.	Foliorum aconiti.	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA ACONITI EX HERBA RECENTE.

R.	Foliorum aconiti recentium. . . .	1
	Alcoholis ad 92°.	1

Macera per triduum.

TINCTURA ALOES.

R.	Aloes	200
	Alcoholis ad 80°	800
		1,000

Solve.

TINCTURA ALOES COMPOSITA.

R.	Aloes	20
	Agarici albi	3
	Radicis gentianæ	3
	Id. rhei	3
	Rhizomæ zedoariæ	3
	Croci	2
	Electuarii theriacalis	3
	Alcoholis ad 50°	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA ALOES CUM MYRRHA.

R.	Tincturæ aloes	400
	Id. myrrhæ	400
	Id. croci	200
		1,000

Misce.

TINCTURA ALOES VETERINARIA.

R.	Aloes liquidi	400
	Alcoholis ad 92°	600
		1,000

Misce.

TINCTURA ARNICÆ.

R.	Florum arnicæ	200
	Alcoholis ad 80°	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA AROMATICA.

R.	Corticis cinnamomi	84
	Seminum cardamomi minoris . . .	21
	Caryophyllorum	21
	Radicis galangæ.	21
	Id. zingiberis	21
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA ASÆ FOETIDÆ.

R.	Asæ fœtidæ	200
	Spiritus ad 80°	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA BELLADONÆ.

R.	Foliorum belladonæ	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA BELLADONÆ EX HERBA RECENTE.

R.	Foliorum belladonæ recentium . . .	1
	Alcoholis ad 92°.	1

Macera per triduum.

TINCTURA BENZOES.

R.	Benzoes	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA BENZOES COMPOSITA.

R.	Benzoes	70
	Radicis angelicæ.	20
	Myrrhæ	12
	Olibani	12
	Aloes	12
	Balsami tolutani.	35
	Id. peruviani	35
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA CANNABIS INDICÆ.

R.	Extracti cannabis indicæ	50
	Alcoholis ad 80°.	950
		1,000

Solve, et post viginti quatuor horas filtra.

TINCTURA CANTHARIDUM.

R.	Cantharidum.	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA CAPSICI.

R.	Fructus capsici	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA CASCARILLÆ.

R.	Corticis cascarillæ	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA CASTOREI.

R.	Castorei	100
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA CATECHU.

R.	Catechu	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA CHINÆ.

R.	Chinæ fuscæ	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA CHINÆ FLAVÆ.

R.	Chinæ flavæ	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA CHINÆ RUBRÆ.

R.	Chinæ rubræ.	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA CHLORURETI FERRI ÆTHEREA.

R.	Chlorureti ferrici anhydrici. . . .	60
	Ætheris alcoholisati	940

Has substantias immitte in lagenam cylindricam rite clausam. Commove quo facilius chloruretum solvatur, solutionemque radiis

solis expone donec colorem flavum amiserit. Filtra et in lagenis loco aprico positis serva.

Sit liquor limpidus, coloris expers aut flavescens, saporis styptici, odoris ætherei. Loco obscuro asservatus, liquor colorem flavum induit.

TINCTURA CICUTÆ.

R.	Seminum cicutæ	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA CICUTÆ EX HERBA RECENTE.

R.	Herbæ recentis cicutæ	1
	Alcoholis ad 92°.	1

Macera per triduum.

TINCTURA CINNAMOMI.

R.	Corticis cinnamomi	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA COCA.

R.	Foliorum coca	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA COLCHICI.

R.	Seminum colchici	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA COLOCYNTHIDIS.

R.	Colocynthidis.	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA COLUMBO.

R.	Radicis columbo	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA CORTICUM AURANTIORUM.

R.	Corticum aurantiorum	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA CROCI.

R.	Croci	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA DIGITALIS.

R.	Foliorum digitalis	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA DIGITALIS E FOLIIS RECENTIBUS.

R.	Foliorum recentium digitalis . . .	1
	Alcoholis ad 92°.	1

Macera per triduum.

TINCTURA EUCALYPTI.

R.	Foliorum eucalypti	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA GELSEMII.

R.	Radicis gelsemii	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA GENTIANÆ.

R.	Radicis gentianæ.	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA GUAJACI.

R.	Ligni guajaci.	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera par sex dies.

TINCTURA GUAJACI E RESINA.

R.	Resinæ guajaci	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA HUMULI.

R.	Humuli strobilorum.	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA HUXHAMI.

R.	Chinæ fuscæ	100
	Radicis serpentariæ	20
	Corticum aurantiorum	75
	Coccionellæ	4
	Croci	8
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA HYOSCIAMI.

R.	Foliorum hyosciami	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA HYOSCIAMI EX HERBA RECENTE.

R.	Foliorum hyosciami recentium . . .	1
	Alcoholis ad 92°.	1

Macera per triduum.

TINCTURA IODII.

R.	Iodii	80
	Alcoholis ad 92°.	920
		1,000

Solve et in loco umbroso serva.

Sit coloris saturate fusci, et cum aqua præcipitatum iodii copiosum præbeat.

TINCTURA IPECACUANHÆ.

R.	Radicis ipecacuanhæ.	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA JABORANDI.

R.	Foliorum jaborandi	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA JALAPPÆ.

R.	Tuberum jalappæ	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA JALAPPÆ COMPOSITA.

R.	Tuberum jalappæ	83
	Radicis turpethi	11
	Scammonei	21
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA LOBELIÆ.

R.	Herbæ lobeliæ	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA MASTICHES ÆTHEREA.

R.	Mastiches.	Q. V.
	Ætheris cui 28 alcoholis partes pro centum partibus insint	Q. S.

Mastiches copia prævalente adjuncta liquor æthereus saturetur. Per aliquot dies macera, tum decanthetur, et servetur in laguniculis magna apertura præditis et optime clausis.

TINCTURA MASTICHES ET BALSAMI TOLUTANI.

R.	Mastiches.	160
	Balsami tolutani.	160
	Ætheris rectificati	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA MOSCHI.

R.	Moschi	100
	Alcoholis ad 80°.	Q. S.

Immittatur moschus in apparatum lixiviatorium cum spiritus q. s. ut moschus uno fere centimetro liquidi tegatur.

Macera per triduum, tum liquorem effunde et leviga donec solutionis 1,000 partes obtinueris.

TINCTURA MYRRHÆ.

R.	Myrrhæ	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA NUCIS VOMICÆ.

R.	Nucis vomicæ	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA OPII.

R.	Opii	84
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA PYRETHRI.

R.	Radicum pyrethri	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA QUASSIÆ.

R.	Ligni quassiæ	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA RATANHIÆ.

R.	Radicum ratanhiæ	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA RHEI.

R.	Radicum rhei.	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA SABINÆ EX HERBA RECENTE.

R.	Herbæ recentis sabinæ	1
	Alcoholis ad 92°.	1

Macera per triduum.

TINCTURA SCILLÆ.

R.	Squammorum scillæ.	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA SECALIS CORNUTI.

R.	Secalis cornuti	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA SENNÆ.

R.	Foliorum sennæ	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA SPILANTHI COMPOSITA.

R.	Herbæ spilanthi florentis	333
	Radicum pyrethri	165
	Alcoholis ad 92°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA STRAMONII.

R.	Foliorum stramonii	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per triduum.

TINCTURA STRAMONII EX HERBA RECENTE.

R.	Foliorum recentium stramonii . . .	1
	Alcoholis ad 92°.	1

Macera per triduum.

TINCTURA TARTRATIS FERROSO-POTASSICI.

R.	Limaturæ ferri	2
	Bi-tartratis potassici.	5

In lebetem ferreum immitte cum aquæ sufficienti copia ut mixtura in massam redigatur pultiformem. Digestione per viginti quatuor horas in loco calido facta, coque per duas horas cum

Aquæ destillatæ 15

aquam evaporatione absumptam restituendo.

Liquoris refrigerati decantha partem claram, eamque evapora usque ad densitatem 1.26. Quo facto, admisce liquori

Alcoholis ad 92°. 1

Misce et post aliquot dies filtra.

TINCTURA VALERIANÆ.

R.	Radicis valerianæ	200
	Alcoholis ad 60°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA VALERIANÆ ÆTHEREA.

R.	Radicis valerianæ	200
	Ætheris sulfurici alcoholisati . . .	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA VANILLÆ.

R.	Vanillæ	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA VERATRI ALBI.

R.	Radicis veratri albi	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TINCTURA VERATRINÆ.

R.	Veratrinæ.	5
	Alcoholis ad 92°.	995
		1,000

Solve.

TINCTURA WHYTTII.

R.	Chinæ fuscæ	150
	Radicis gentianæ.	50
	Corticum aurantiorum	50
	Alcoholis ad 92°.	650
	Aquæ cinnamomi	350

Macera per sex dies.

TINCTURA ZINGIBERIS.

R.	Rhizomæ zingiberis	200
	Alcoholis ad 80°.	1,000

Macera per sex dies.

TUBERA ACONITI.

Tubera conica, elongata, superne vestigia caulium vel gemmarum præbentia, in 3 ad 4 partibus inæqualibus, duris divisa; 5 ad 8 centimetra longa, 2 ad 3 centimetra crassa.

Tubera anni densa, compacta, intus alba; superioris autem anni levia, intus fusca, aliquoties cavernosa. Utraque exterius sunt fusca, striis transversis et notis e quibus radicellæ cecidere, signata. Sectione transversa apparent cortex crassus, punctis instructus, radiatus, nec non annuli carnosi perangusti, coloris saturatioris, 5 ad 8 radiis majoribus trajecti.

Aconiti napelli tantum sunt tubera eligenda. Rejiciantur tubera aliorum, specialiter tubera aconiti cammari, aconiti napelli tuberibus minora, 2 centimetra longa, 12 millimetra ad partem superiorem lata, radiis inæqualibus et obscuris in parte dimidia et in parte carnosa notata; rejiciantur quoque tubera aconiti storkeani, sæpissime longiora, coalescentia, partibus medullaribus et lignosis diffusis, in lineis circinatis vel angulatis ac non in stellis dispositis.

Tubera de plantis agrestibus colligenda et caute servanda sunt.

TUBERA JALAPPÆ.

Tubera globosa, pyriformia aut elongata, plerumque in duas partes secta, ponderosa, compacta, cortice fusco et rugoso tecta, intus zonis concentricis, resinosis, fuscis, textu celluloso-lamelloso, còloris obscure cinerei distincta, odoris sunt debilis, sed ingrati, saporis acris, nauseosi, adstringentis.

Cave ne frustula resina privata accipias. Quæ insectis erosa sunt, tantum ad extractionem resinæ inserviant.

Centum jalappæ partes ad minus decem resinæ partes in ethere vix solubiles contineant.

TUBERA SALEP.

Salep in tuberibus adfertur plerumque filo trajectis, subglobosis aut ovalo-oblongis, semi-diaphanis, ponderosis, e subflavo cinereis,

pisi minoris ad avellanam quoad magnitudinem, odoris debilis sed saporis mucilaginosi.

Rejiciantur tubera pulla, cariosa, levia aut rugosa. Salep parvam tantum amyli partem, iodo colorem cœruleum inducentis, continet.

UNGUENTA.

1. Corporea pinguia quæ ad unguenta paranda adhibentur recentia sint, nec rancida.

2. Corpora pinguia et resinosa balneo aquæ liquefacta per pannum linteum colentur, necnon agitentur donec refrixerint.

3. Corpora volatilia aut illa quæ caloris ope sejungi possunt, ut balsamum peruvianum, unguentis nonnisi pene refrigeratis immisceantur.

4. Pulveres unguentis addendi sint tenuissimi.

5. Massa tota eamdem præbeat consistentiam, nec sit rancida.

6. Nisi aliter indicatum sit, unguenta in vasis porcellaneis clausis loco frigido et sicco positis serventur.

UNGUENTUM SUB-ACETATIS PLUMBI.

R. Axungiæ,
Olei olivarum,
Sub-acetatis plumbi liquidi, partes æquales.

